JOSEPHI ROCCHI VULPII E SOCIETATE JESU EPISTOLAE TIBURTINAE CARMINIBUS...

Giuseppe Rocco Volpi

5 3 127

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU
EPISTOLAE TIBURTINAE
VERSIBUS CONSCRIPTAE.


IOS ROCCHI VULPII S.I.
Epiſtolæ Tiburtinæ
Verſibus exaratæ.

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU
EPISTOLAE TIBURTINAE
CARMINIBUS CONSCRIPTAE
HEXAMETRIS ELEGIACIS HENDECASYLLABIS
Quæ antea ſparſæ variis Voluminibus legebantur
NUNC PRIMUM COLLECTAE
ET IN TRES LIBROS
TRIBUTAE
Cum Animadverſionibus ejuſdem Auctoris.

Circa Nemus, uvidique TIBURIS *Ripas,*
Operoſa parvus Carmina ſingo.
Horat. Carm. Lib. 3. Od. 2.

BRIXIAE. CIↃIↃCCXLIII.
Excudebat Joannes-Maria Rizzardi.
SUPERIORUM PERMISSU.

Editor Lectori Benevolo

S.

JOSEPHI ROCCHI VULPII Soc. JESU Epiſtolas Tiburtinas verſibus deſcriptas, quæ antehac ſparſæ variis Voluminibus legebantur, ſi in unum collegiſſem, Tibique, Lector Benevole, repræſentaſſem, operæ me pretium factorum exiſtimavi. Quæ enim antea ſeorſim editæ fuerant, ſingulæ ab harumce rerum ſtudioſis approbari non mediocriter viſæ ſunt. Excuſæ autem erant, partim Venetiis, partim Patavii typis illis Cominianis elegantiſſimis, partim denique hic Brixiæ non medioeri cura noſtra. Ceteræ autem in manus litteratorum hominum prodierant tum Romæ, tum Liburni, tum alibi quoque, ſucceſſu eodem. De illarum Latinitate, Elegantia, Perpetuaque Veterum Optimorum Poetarum imitatione, meum non eſt decernere, ſed tuum erit, Lector Benevole. Meum vero, nonnulla Te in anteceſſum monere, quæ Vir Ampliſſimus & Mecœnas Auctoris noſtri validiſſimus munificentiſſimus nobis tamquam ab ipſo Auctore ſibi identidem com-

mu-

municata, ut Tibi ſuggereremus, de his ipſis Epiſtolis, inſinuavit: ſcilicet, Auctorem uſurpaſſe ſententias, verſuſque ipſos Veterum Poetarum magna frequentia, nihil veritum obtrectatorum calumniam, qui illum furti fortaſſe inſimularent; adhibuiſſe namque ſtudio ac dedita opera, ſcienter ac volenter ſenſa ac verba optimorum auctorum eo prorſus pacto, quo in ſoluta aliqua oratione vel narratione, Teſtimonia ipſa antiquorum nullo furto in medium recitari ſolent; & hoc ſe palam profeſſum, vel obſignando Veterum Poetarum adducta carmina, vel in *Notis* loca ipſa, unde deduxerat, innuendo. Animadverſiones vero nonnullas addidiſſe ſoluta oratione, eo quod verſu non ita commode omnia explicari poſſint: *Propter egeſtatem linguæ, & rerum novitatem*, ut ajebat Lucretius. Argumenta denique Epiſtolarum in genere quidem exornativo fere omnia verſari (in quo effuſum eum veluti nimis in amicorum laudes nonnulli fortaſſe accuſare poſſent) attamen tales tantoſque Viros a ſe laudatos, qui mole, ut dicitur, ſua ſtantes, univerſæque Civili Litterariæ Reipublicæ perſpectiſſimi cum ſint, omnem ab eo ſordidæ adulationis ſuſpicionem abunde avertant; Ille potiſſimum, qui edendi nobis hujus Voluminis Auctor locupletiſſimus eſſe voluit. Tu itaque, Lector Benevole, boni conſule, fruere. Vale.

NOI

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. Giacint' Antonio Biondi Inquiſitore di Breſcia, nel Libro intitolato: *Joſephi Rocchi Vulpii e Societ. Jeſu Epiſtola Tiburtina Carminibus conſcripta*, non v'eſſer coſa alcuna contro la S. Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concedemo licenza a Gian-Maria Rizzardi Stampatore di Breſcia, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 29. Marzo 1742.

[
[*Z. Alviſe Mocenigo Proc. Rif.*
[*Zuane Querini Kav. Rif.*

Agoſtino Bianchi Segr.

Regiſt. in lib. a c. 28.

			ERRATA	CORRIGE
Pag.	9.	v. 127.	dextera	dextra
	13.	v. 240.	Magnanimum	Magnanimum
	17.	v. 8.	Scrips	Scripſt
	19.	v. 71.	Sabellicus	Sabellicus
	21.	v. 127.	manifque	manifque
	22.	v. 166.	Denique	Denique
	23.	v. 176.	forte	forte
	24.	v. 334.	Sabinæ	Gabinæ
	25.	v. 245.	Lycei	Lyæi
	ibid.	v. 247.	Nobilibus	Mobilibus
	26.	v. ult.	fovere	foveri
	29.	v. prim.	gaudens	gaudent
	ibid.	v. 8.	Addita	Abdita
	31.	v. 60.	fortes	fortes
	33.	v. 113.	Volvete	volvere
	39.	v. 50.	duxit	duxiſti
	ibid.	v. 58.	Poſteritas	Poſteritas
	40.	v. 93.	liberi	libris
	ibid.	v. 97.	Veſpertino	Veſpertina
	44.	v. 22.	Gratulor	Gratulor
	48.	v. 46.	Opus	Opes
	54.	v. 16.	Spoliiſque	Spoli ſque
	58.	v. 159.	Heſperia	Heſperia
	60.	v. 107.	Doleat	Doleat
	ibid.	v. 241.	ferat	ferat
	ibid.	eod. verſu.	quamquam	quemquam
	63.	v. 314.	Imperator	Imperat

Pag.

ERRATA CORRIGE

Pag. 72. v. 124.	ſedes	ſedes
ibid. v. 126.	reponam	reponam
ibid. v. 126.	ſtrepituſque	ſtrepitumque
74. v. 154.	cur	cuto
95. v. 68.	pidrior	pulchrior
100. v. 49.	fulgere	fulgere
105. v. 65.	luces	luces
120. v. 43.	pretioſo pretioſa	pretioſa
125. v. 79.	Nec	Hæc
143. v. 113.	Victor	Victus
149. v. 19.	niſi ,	, niſi
162. v. 33.	remotas.	remotas
165. v. 26.	Et	Is
167. ad Ep. VIII.	Bruna	Bruæ
182. v. 29.	parere	parcere
187. n. 4. lin. 15.	Pandulfo	Gandulfo
ibid. l. 19.	ampliſſimæ	ampliſſimæ.
188. n. 4. l. 6.	e	&
ibid. l. 10.	ſtma	ſtrma
189. n. 11. l. 5.	ſcribere	ſcribere
ibid. n. 19. l. 4.	ganoni	ganunu
190. n. 24. l. 2.	juſta	juſta
191. n. 4. l. 2.	ſes	ſu
ibid. l. 10.	quia	qui
ibid. n. 6. l. 18.	bertas	bertas
194. n. 2. l. 31.	Vindobonam	Vindobonam
196. n. 11. l. 8.	inſtitutore	inſtitutore
198. n. 8. l. 3.	Gends	Genus
199. n. 11. l. 4.	Inſulat	Inſulat
200. n. 8. l. 1.	Piſtora	Piſtora
201. n. 11. l. 4.	ma	ma
207. n. 10. l. 14.	ma	m
209. n. 2. l. 1.	Jana	Tana
ibid. n. 4. l. 25.	teſtantur	tellentur
210. col. 1. l. penul.	par	pr
213. n. 12. l. 5.	dicantur	dicantur
ibid. l. 7.	effuſſiones adhuc	effuſſiones adhuc
215. n. 10. l. 2.	Urbe	Urbs
216. n. 18. l. 8.	Sterta	Sjorta
217. n. 15. l. 25.	&	ex
218. n. 13. l. 16.	Syreus	Piræus
ibid. l. 25.	ferm	ferm
221. Ep. 6. n. 2. l. 4.	Boeſin	Boeſin
222. Ep. 9. n. 1. l. 1.	Lope	Lopez
ibid. n. 4. l. 1.	Crucreus	Cruceus
ibid. Ep. 11. n. 1. l. 13.	cum ,	cum
224. Ep. 18. l. 7.	Albo intemela	Albointemelu
ibid. Ep. 19. n. 2. l. 6.	gotum	gatum
225. n. 4. l. 1.	Benaco	Benaco
ibid. l. 4.	Villa	Villam
ibid. n. 6. n. 2.	Campania	Campaniæ
ibid. n. 10. l. 3.	Lauræ	Lauræ
ibid. n. 11. l. 4.	Megeghino	Merg ghino
232. l. 29.	Pendamque	Pendamque

JO-

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU
EPISTOLARUM TIBURTINARUM
LIBER PRIMUS

Hexametris conſcriptas complexus.

I

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU
EPISTOLA I. TIBURTINA
AD
ANGELUM MARIAM
TITULI S. MARCI
S. R. E.
CARDIN. QUIRINUM
BRIXIENSEM ANTISTITEM

ANNO SALUTIS CIƆIƆCCXXXIV.
MENSE OCTOBRI.

Edita eſt Venetiis An. 1736 in Libro, cui titulus: *Raccolta di Opuſcoli ſcientifici Filologici, Tomo Decimoterzo. Appreſſo Criſtoforo Zane. in 12.*

ANGELO MARIAE
QUIRINO
S. R. E.
CARDINALI AMPLISSIMO
BRIXIENSI ANTISTITI
VIGILANTISSIMO

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS
SOCIETATIS JESU

ΕΥΠΡΑΤΤΕΙΝ. (1)

CUM tot ſuſtineas diſtenta negocia curis,
Et Venetas ſimul, & Romanas ſolus in Urbe
Res (2) conſignaris nuper, ne ſciſſa Senatus
Pectora cum Patre Pontificum ac disjecta manerent;
Sed quæ diſſiluit quondam male ſatta, coiret
Gratia quo rurſum, non ullis diſſoluenda
Temporibus dubiis, longum manſura per ævum:
Te nunc, Veronæ quæ fertur Brixia mater,
Detineat ſacris noctuque diuque vacantem
In Grege tam vaſto luſtrando, nonne verebor
Publicus eſſe reus, ſi in publica commoda peccem,
Et mea Te terris furetur Epiſtola, Princeps?
Ne tamen ignores quo ſit Romana loco res,
(Graſſari obſequio quamvis fortaſſe videbor,
In lucum, ut fertur, comportans ligna) ſed audi.

Cle-

Clementis viget in primis viridiſque ſenecta eſt;
Quo circa Romana cohors & ridet, & ambit,
Neſtoreos annos Patri, ſibi lucra precata.
Collegarum etiam valet omnis pene Senatus:
Et quamvis nutent aliqui, non limine cedunt;
Purpureique pares pondus geſtare Galeri
Viribus infractis videas, nec vinciet uſquam.
Non ſe Roma capit tectorum molibus, ipſa
Sidera culminibus tentantia, cernere fas eſt,
Quocumque obtutus & greſſus flexeris: at Te (3)
Luce Palatinæ Venetorum Ædes rutilantes
Egregia, Auctorem laudant, properoſque morantur.
Atria deformi quondam ſquallentia vultu,
Et Paulli monumenta ſitu ac pædore ſepulta,
In ſolem per Te rurſum producta diemque,
Urſeuli ſtatua Ducis, atque nomiſmate crebro,
Sive epigramma velis dixiſſe, ornata, coruſcum
Oſtentant caput, Auctorem teſtata Quirinum.
Quid quod, ab effuſis bellorum Oenotria flammis
Dum uritur hinc tellus atque hinc, Romana favillæ
Mœnia nec tangunt ipſæ, longeve vaporant?
Sed velut Ætnæus vicinis vividus ardor
Scit nivibus ſervare fidem, Bellona cruentum
Finibus Italiæ quaſſans, tamen Urbe flagellum
Concutit uſque procul, Petri & venerata ſepulchrum,
Et Paulli cineres, paci nuſquam obſtrepit altæ.
Quare inter caſus Sociorum, & funera, Romæ
Vivimus & tuto & tranquille, non ſecus ac ſi
Longe de ſcopulis Neptunia regna furenti
Spectemus rabie volvi, & ſorbere natantes;
Æſtate aut media, dum fulminat undique circum
Juppiter, & micat & tonat, unus luce ſerena
An-

Angulus immunis nitear, careatque procellis.
Adde his, quod pleno diffudit copia cornu
Maturas fruges: capiunt vix horrea meſſes,
Quas Latium felix hyeme atque æſtate ſerena
Protulit exultans. Autumnus pomifer & nunc
Fructibus ornatum caput omnibus extulit arvis.
Pampineis quamquam Bacchus mediocriter uvis
Lætus, vina ferat modicis ſpumantia labris;
Perpetuis præcocta tamen de ſolibus, aptum
Sunt capiti & ſtomacho quondam promptura ſaporem.
Ergo inter Cæli, & felicia munera Terræ
Tot, læti feſſos ſtudiis ſtrepituque Forenſi
Romulidæ ut recreent animos, aptentque futuris
Temporibus, curarum Urbis jam mole premendos
Rurſum, ſeceſſere: juvat modo Tuſcula quoſdam(4)
Umbra, ſuburbanis hinc illinc conſita ſilvis,
Hos at in Albanis, tangit quos Appia, lucis
Delituiſſe, Lacus geminos prope, Monte ſub alto.
Multus Anienos quoque fit concurſus ad Hortos,
Colleſque, electo quos ditat Cynthia muſto.
Parte alia Præneſtinæ qui frigora Rupis,
Aut placidos tractus Gabiorum, aut arva Labici,
Æquorumque plagas inter, qui rura frequentent
Propria, ſunt multi Procerum. ludo hic choreiſque
Pervigilant ſolidas noctes, plauſumque theatris
Denſum immane cient in lucem; Sidera donec
Occaſura, oculis cogant concedere ſomnum.
At melior quorum ſedit ſententia menti,(5)
Herculeum in Tibur mecum venere, Anienos
Decurſus inter, placidiſſima Palladis inter
Regna; ubi tranquillum miti ſub cardine cælum
Volvitur, & menſes ſemper facit hic ſalubres.

Ti-

Tibur ab Argivo poſitum pro patre colono,
Expulſis Siculis, Siculeti (6) voce retenta,
Quo veterum nunc Caſtra vocant, quo templa Sibyllæ
Albuneæ Tiburtis adhuc conſurgere vulgus
Autumat, antiquis dilectum Tibur, (7) Horatj
Exemplo præeuntis, amorem, & vota ſecutis.
Hinc tua, Mecœnas, ſurgebant culmina, ripa
Qua læva præceps Anio deſertur, at inde
Quintilii extabant præcelſa cacumina Vari,
Vaſtum opus, immenſæque manent pro teſte ruinæ.
Cernere facundi Tibur glaciale Vopiſci
Hinc fuit, & geminos inſecto Aniene penates;
Rura mihi nuper, Statio quondam celebrata.
Caſſius (8) hic Brutuſque ſuos de cæde cruentos
Terſerunt Julj gladios, facinus meditati
An pulchrum, an turpe, incertum, Tiburte receſſu.
Sunt hic Coſsinj, ſunt hic monumenta Parroni,
Ventidiique mali, Lepidi, victique Syphacis:
Et, quæ Palmiræ tenuit ſua regna virago,
Zenobiæ, Plautj, Centronj, ac deinde Rubellj;
Piſonum germanorum, Calpurnia quos gens
Edidit. & Valerj gemini, (9) quem Sirmio primum
Benaci ad ripas clara edidit, alterius mox,
Protulit ad Bætim quem Bilbilis alta poetam.
Huc olim, fieri cuncta hic dum candida credit
Solibus atque undis properabat nigra Lycotis,
Cynthiaque arguti carmen juvenile Propertj,
Rus habuit noto ſignatum limite Vatis,
Candida qua geminas oſtentant culmina turres,
Inque Lacus patulos Anienus decidit humor.
Adriaci ſed, præ cunctis, ſtat fama Palatj
Inter disjectas immenſo tramite moles.

Quas

Google

Quas merito non Villarum, ſed rudera dicas
Murorum expugnatæ urbis, tam vaſta ruina eſt!
Nos urbe egreſſos, mediis Septembribus horis,
Huc, Tiburte via, duxerunt eſſeda mannis.
Verum, dum Romæ ſtrepitu, fumoque relicto
Geſtimus; rapit en ſubito cælumque diemque
Immenſus mandratum ordo farraca trahentum,
Et Tiburtini lapidis ſub mole gementum,
Tanta unde in cælum nubes it pulveris atri,
Quantam non Aquilo Campanis excitat agris.
Nec mora nec requies ſaxorum, nam urget in Urbe
Ædificanda domus quamplurima, & exornanda
Poſtibus, & zonis, tiburte & limine multo.
Nocte igitur tetra damnati obvolvimur uſque
Biſquintum ad lapidem, redeunte ubi denique luce,
A dextera lævaque procul cernuntur in altis
Collibus Oppidula & Villæ, nam dextera late.
Oſtentat juga Telegoni, ſedeſque beatas
Ex Albæ tumulis protenſas uſque Latinum
In littus. læva cælumque, arvumque Sabinum,
Eretum, (10) Soracte micant, & Corniculani
Montes, Veſtinique, & Marſicus Apenninus.
At poſtquam grato excepit nos Villula tecto,
Irrequietæ Urbis curarum mole repoſta,
Non ludo, aut choreis, non plauſibus exercemur
Scenarum, ignari quæ gaudia vana popelli
Panem, & Circenſes tantum ſibi poſcere docti:
Verum cum patibus ſtudioque, animoque, domoque,
Verſamur ſociis; regit agmen primus Aquinas
Carolus (11) extremam ſcripturus ad uſque ſenectam
Carminaque, & numeris illuſtria multa ſolutis.
Pone (12) venis ſancti de nomine dicte Canalis

Alme Pater fama Italia clariſſime tota
Divini laude eloquii, Trinacria proles.
Hunc ſequitur (13) Venetus ſincera mente Tebaldus,
Semper amicorum officiis ex corde paratus;
Et Romana nimis pergat ni urgere paleſtra,
Nobiſcum pariter Burgundus (14) Horatius eſſet,
Eximie qui Te colit, & quem docta Matheſis
Ornat ita, aſtrorum occaſus, ut norit, & ortus
Tamquam ungues digitoſque ſuos. Libanoque relicto,
Hic Syrus, (15) o utinam, mecum Benedictus adeſſes!
Quem tibi Linguarum ſtudium, & doctrina Sacrorum
A teneris pene unguiculis fecere ſodalem.
Adforet & cuſtos (16) locupletis Bibliothecæ,
In qua Te ſolitum, memini, conſumere ſoles
Immerſum libris, Veterum & palleſcere chartis.
Ut Tua tunc, PRINCEPS, loqueremur geſta viciſſim,
Interius Te noſse datum quibus eſt! tamen abſint
Hi licet, abſentum numerum cum fœnore reddunt
Dilecti (17) Placidus Tibi (18) Baldinuſque clientes,
Pars Gregis hic memoranda Tui, Paſtor Gregis ille
Tiburtis, cum (19) Revilio (20) Beſozzius atque,
Docti ambo, ſacri ductores agminis ambo.
Hi mecum nunc ad Caſsj monumenta, Sibyllæ
Nunc templi e regione, ſecus monumenta Catulli,
Eſt iter ad Flacci qua Villam, præcipiteſque
Unde licet (21) parvos Anienis cernere lapſus,
O quem Te memorant, cœlo dilecte QUIRINE!
Hic genus antiqua repetens ab origine, laudat
Fortia facta Patrum belloque togaque TUORUM.
Ingenii mox ille Tui tot clara recenſet
Pignora; cui Pietate places, Gravitate, Pudore,
Sollicitudinibus Paſtoris, plurimus inde eſt.

Aſt ego tunc (deſiderium cui fertur inique
Abſentis Domini uſque adeo, ut tua ſemper oberret
Ante meos oculos, veluti præſentis imago)
En erit, exclamo, ſocii, felix erit unquam
Illa dies, cum cœlo extollere magna Quirini
Facta queam? meritas illi cum dicere laudes?
Et Venetos & Romuleos ex ordine poſſim
Nomine iam ſancto immortales reddere Faſtos
Æternum? quo, Muſa, rapis ſed carmine plenum
Me ſubito? quo, Mecœnas, comitante caterva
Me Vatum abripies? docti venit umbra Catulli,
Et Vari, & Flacci, commendatique Vopiſci,
Hos inter lucos aſſuetæ errare, Penates
Antiquos inter. Paſtoris nomine cuncti
Arcadici me compellant, Cranxusque Bianor
Audio, & abſentis jubeor Tua tangere Facta
Carminibus; Chorus omnis amat mea carmina vatum
Quandoquidem, incipio. Reſponſant omnia Silvæ
Tiburtes; Anio feſtivo murmure plaudit;
Atque jocoſa cavis convallibus aſſonat Echo.
Felices umbræ, quæ Te videre regreſſum
Alcinoi ex Hortis, olim Corcyra beatos
Quos coluit, Tiburtinis æſtate morantem
Frigoribus, cum Purpureo decorande Galero;
Magne Quirine, fores, tumidũ tanto Hoſpite flumen
Immenſis currebat aquis. nemus omne ſuperbum
Tollebat caput in nubes; lætiſſima cuncta
Plaudebant ſibi nunc procul, ah quando Urbe moraris,
Squallet ager, mœrent Silvæ, ſunt flumina lenta.
Ducite Magnanimum mea carmina, ducite in Urbem,
Sæpius ut veniat ſic Tibur ab Urbe, Quirinum!
Æquoris Adriaci Regina dedit Tibi cunas,

Brixia, Tu modo quam paſcis, Tibi pabula primis
Doctrinarum exculta annis porrexit; in Arm
Mox Urbem dominam contecti, Gallia terris
Te juſſit Italicis exinde, domumque reverſi
Hoſpitio gaviſa Tui quoque Roma: remotos
Paſtor amans Gregis haud dubitas adiiſſe Pelaſgos;
Purpureos inter Patres ad Limina Petri
Accenſuſque redis: rapuit Te Brixia rurſum
Paſtorem nimium ſibi charum, Brixia felix!
Ducite Magnanimum mea carmina, ducite in Urbem,
Sæpius ut veniat ſic Tibur ab Urbe, Quirinum!
Quid memorem ut primis, ſenior jam mente, ſub annis,
Nil Generis titulos, nil Nomina magna morans
Calcaris, Generoſe Puer, quæ regna Voluptas
Promittebat; Honor quæ regna, domuſque paternæ
Divitias, oſtrum malens mutare Cucullo,
Nurſini Patris (22) exemplo, tectoque beatus.
Quæ Pietas, quæ priſca Fides, quæ candida morum
Integritas, quæ ſanctarum cuſtodia Legum,
Improbus & diſcendi & inexſaturabilis ardor,
Abdita Naturæ dum perſcrutaris, & inter
Cæleſtes animas Patrum, Cæleſtia tractas?
Ducite Magnanimum mea carmina, ducite in Urbem,
Sæpius ut veniat ſic Tibur ab Urbe, Quirinum!
Quid memorem ut ſenibus Junior datus Ipse regendis,
Et divinorum ſis juſſus adeſse Magiſter?
Expromenſque Tuo de Pectore Bibliothecam
Chriſti, quam aſſiduo compleras ante labore,
Solveris arcanorum obſcura oracula Vatum,
Jeſſæo Grajoque ſimul Latioque locutus
Sermone, atque aliis, veluti ſi patria lingua
Una foret Tibi quæque, fores ceu natus in illis?

Google

Ducite Magnanimum, mea carmina, ducite in Urbem,
Sæpius ut veniat ſic Tibur ab Urbe, QUIRINUM!
Ne tamen una ætas Tanto lætata Magiſtro
Gauderet, ſed perpetuis ſæclum omne futuris
Temporibus dives fieret, Monumenta QUIRINI
Ingenii æternum victuris tradere chartis
Obtinuere preces populorum & vota peracta.
Ergo immortali donati munere, grates
Reddamus meritas, ac immortale precemur
Auctori Regnum, cœli ſedeſque beatas,
Doctores inter populorum, lumina prima
Sydereæque domus, Sanctis de Patribus uni.
Ducite Magnanimum mea carmina, ducite in Urbem,
Sæpius ut veniat ſic Tibur ab Urbe, QUIRINUM!
Docta magis, num larga magis TUA dextera, PRINCEPS
Plura dedit, ſcripſit ne? Gregi quæ plurima dictis,
Sis præſens, abſenſve, TUO, nunc Brixia pandat;
Aſt olim eſt Corcyra ſuis teſtata Pelaſgis.
Nonne oculus cœco, pes claudo, tutor egenis
Pupillis, ægriſque ſalus, miſeris Pater eſſe
Viſus es? immenſi quoties luſtratus Ovilis
Aerias Alpes es, teſqua, mapalia Paſtor
Nulla indignatus, nunquam laſſatus obire.
Ducite Magnanimum mea carmina, ducite in Urbem,
Sæpius, ut veniat ſic Tibur ab Urbe QUIRINUM!
Templa novis Tu marmoribus ſuffulta columnis
Centum, reſtituis, Supremi & Numinis aras
Ædificas, ornaſque auro gemmiſque, Sepulchrum
Urſino Tu conſtruis gratiſſimus ultro
Pontifici, Venetos Tu digeris ordine Faſtos
Sedibus in Marci Romanis, Purpura quorum
Scripta, QUIRINE, mihi, (23) TUA præſtantiſsima Juſsa.

Ro-

Romuleæ factus vix Præſes Bibliothecæ
Pontificum, theſauro illam prædivite adauges
Librorum, comites Tecum quos Itala vidit
Non tantum Terra aſſiduos, ſed Gallia quondam
Ipſa, ſed æquoreis a fluctibus undique cincta
Corcyra, ex undis quos ereptoſque procellis,
Tam Tibi dilectos, quam pignora chara parenti,
Regia dextra tamen Tua publica munera fecit.
Ducite Magnanimum mea carmina, ducite in Urbem,
Sæpius ut veniat ſic Tibur ab Urbe, Quirinum!
Artibus egregiis natus ſtudiiſque fovendis,
His apetis commune domi Virtutis aſylum,
Provehis hæc, cuiuque novo producis. Ephremi
Aſſyrii nuper vos Sancta Volumina teſtor,
Reddita luce nova, cura & cumulata Quirini.
Agmina Te doctorum hominum circum undiq; ſiſtűt,
Præſidium quibus es, decus, & ſpes certa laborum.
Ducite Magnanimum mea carmina, ducite in Urbem,
Sæpius ut veniat ſic Tibur ab Urbe, Quirinum!
Omnia Te Romam revocant. Tua Purpura; Marci
Ornatæ Sedes; Te Præſide Bibliotheca
Pontificum: & felices poſtquam exegerit annos
Ultimam in ætatem Clemens, ſuprema Tiara.
Auguror! evenient: populorum haud irrita vota.
Carmina jam ceſſent mea: ſponte redibit in Urbem,
Magnanimus, viſet ſic Tibur ab Urbe, Quirinus.
Hæc Tiburtino canerem dum Colle Bianor
Paſtor ab Arcadia, abſentis ſolatia, Princeps,
Quæſivi uſque Tui; Vivens, mihi Numine dextro,
Excepto quod non ſimul eſſes, cætera lætus.

ΕΡΡΩΣΟ.

JO-

II

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU
EPISTOLA II. TIBURTINA
AD
MARCUM FUSCARENUM
Equitem & Senatorem Ampliſſimum, Venetæ Reipublicæ Hiſtoricum, Cæſareum Oratorem Emeritum,

ET AD
CLEMENTEM XII.
PONTIFICEM MAXIMUM
ROMAM DESIGNATUM

ANNO SALUTIS CIↃIↃCCXXXVI.
MENSE OCTOBRI.

Edita eſt Venetiis An. 1738. in Libro, cui titulus: *Raccolta di Opuſcoli ſcientifici &c. Tomo Decimottavo in 12. Appreſſo Simone Occhi.*

Digitized by Google

MARCO FUSCARENO
EQUITI
VENETO SENATORI AMPLISSIMO
AD
CLEMENTEM XII.
P. M.
PRO PATRIA REPUB. S. C. ORATORI DESIGNATO

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS
SOCIETATIS JESU SACERDOS

Ε'ΥΠΡΑ'ΤΤΕΙΝ:

HADRIACÆ Gentis Strips Inclyta, magna ſenatus
Pars idem Veneri, Patres totidem prope Reges
Quem Lecti inſtituunt, Romanorũ æmula quondam
Corda, reis alto jactatis Anchora, MARCE,
Præſidium ac Portus, quoties facundia cauſſas
Orandas TUA ſuſcepit; quo vindice nodi
Permulti, magnique ſecantur; Patria rurſum
Quem jubet auguſtis annalibus abdita rerum
Geſtarum æternum victuris tradere chartis,
Civiles Curas ſuper urbe remitte parumper,
Mique adhibe acturo grates, ſi fas tamen, aurem:
Non Tu (1) corpus eras ſine pectore, ſed Tibi formam
Et ſapere, & fari dignum Sapiente bonoque,

Divitias dederunt ſuperi, ſimul atque fruendi
Artem. Majores, qui Claſſibus imperitarunt,
Inſigneſque domique foriſque, labor numerare,
FUSCARENE, (2) TUOS; Altini litora poſtquam
Æmula Bajanis villis (genus unde priorum
FUSCARENORUM priſcis clareſcere ſæclis
Dictum) miſerunt Venetæ grande hos Decus Urbi.
Tu tamen & Proavos, & quæ non fecimus ipſi
Vix ea noſtra putas Sapiens: calcata tantum
Virtutique adhibens MAJORUM exempla TUORUM
Sectandæ ulterius, ſemper mage in ardua tendis,
Maximaque æquali cum vertice Gloria ſurgat
Scribentis facienda, gerentis commemoranda,
Impiger IPSE biceps feſtinas ſcandere culmen.
Nam, quæ Vindobonæ geſſiſti, Cæſaris aula eſt
Mirata, ac miratur adhuc, dum publica tractis
Munera; Principum amicitiaſque graves, male ſana
Gratia quos terret, gliſcentis ſemina belli
Dum procul a patriis curas avertere terris
Providus, atque caves, ne quid Reſpublica damni
Percipiat TUA, dum vario Bellona tumultu
Concutit Europam; dum morbus omnia miſcet.
Spiſſum Opus, occultiſque dolis mille, atque periclis
Mixtum, tractandumque manu tota atque ſagaci,
Non ſecus ac, cinere ſi veſtigare doloſo
Suppoſitos velles ignes, nec turpiter uri.
Hinc Veneto, infenſa arma inter, Pax uſque Leoni
Summa fuit, mediamque viam tutiſſimus hoſtes
Inter utroſque tenens ivit, fera bella moratus.
Per TE, MARCE, quies Patriæ, Populiſque peracta
Eſt igitur. Decus hoc ævi, quod ſera loquatur
Poſteritas, rerum quando monimenta TUARUM
In

In Faſtis ſignata leget, viviſque notata
Marmoribus, per quæ nova lux ac vita redire
Poſt mortem Ducibus Magnis Soler ac Georoſis.
Nec tamen idcirco, quia Faſtis commemoranda
A teneris meditatus ergo illuſtria facta,
Scribere prætereas Clarorum geſta Virorum,
Digerere & Sancti pariter Conſulta Senatus;
Thracibus horrendas Claſſes, & fœdera Regum
Cum Venetis æquata: mari, terraque repoſitas
Quæſitas Gentes; diti commercia cultu
Theſauris cumulata, & apertis ocia portis.
Novimus, ad noſtras cum Te tulit impetus artes,
Ingenii fœcunda Tui quæ flumina currant.
Quam bene Tu decoras Patrum Decreta, Tuis quæ
Tollendas humeris laudes Patriæ impoſuere!
Scilicet eſt operæ pretium cognoſcere, quales
Æditnos habeat Belli ſpectata domique
Virtus, Hiſtorico tantum tradenda merenti.
Ergo macte animis, Græcorum implere Catervas,
Et Romanorum properes, imitatus utroſque
Eloquio & calamo dives ſimul, optima quando
Scribendi Tibi ſuffecit Sapientia Fontes,
Scribendi recte ſapere eſt nam fontis origo.
Eſt magnis ſignata (3) Viris, per quam, orbita, curris;
Bembo iter ingreſſo primum, curſumque parante,
Hanc Maurocenus terit: ante Sabbelicus ingens:
Hanc Juſtiniani gemini, Dolionque, Paruta,
Atque alii; Poſt quos nuperrimus ordine palmæ
Iſthac magnus equos flexiſti interritus Ipse.
Excipis hos modo, Marce, Tuis Veſtigia ſervans.
Hinc Tibi tantus amor Muſarum, Hinc pectore toto
Accipis Ipse foveſque Artes, quas quiſque Senator,

Quaſque velint apicis ſummi condiſcere Reges.
Hinc Antenoreæ tantum Tibi fama Lycei
Et curæ & cordi eſt, quantum curat pia mater,
Sedula vel nutrix pueros, quos educat ultro.
Et quoties illic fato demeſſus acerbo
Doctorum eſt aliquis; cathedras, ac pulpita circum
Ambiat in vacuum venturus plurimus orbem
Uſque licet; meritos inter meritiſſimus uſque
Eximiuſque tamen fit, Te Hortatore, Magiſter.
Vulpius, (4) hinc, nuper Græci pariterque Latini
Eloquii appoſitus ſtudiis Præſes, Patavinas,
Judicia eliciente Patrum Te, implevit Athenas.
Vulpius ille mihi fraterni Antonius arcto
Sanguinis officio junctus, cui plurima laurus,
Vivaceſque hederæ ſemper florente corymbo,
Rhetori, & egregio Vati ſacra tempora cingunt.
Cujus pro meritis quamvis ego debita laudum
Præmia perſolviſſe vetér, genitoribus iſdem
Progenitus, mea laus proprio ne ſordeat ore,
Cum me tam prope contingat; tamen arbiter iſte
Invitum ſua judicia exaltare Senatus
Tam ſapiens me, Marce, Patrum modo denique cogit.
Quas, Tibi, quas, tali grates pro munere reddam?
Non, Vatum in morem, ſi centum poſcere Voces,
Centum ora incipiam, benefacta æquare canendo
Vel Tua, Marce, queam, nedũ, quæ munera ſanctum
Patrum iſtud mique atque meis (5) donavit habere
Concilium, meritis cantando laudibus ornem.
Ergo, quod ſupereſt, deſcendam in vota, preceſque:
Solvendoque impar, decoctus ne ære alieno
Opprimar, ad partes immenſa æraria Cœli
Voce vocans, orabo, præs ut ſit mihi Numen,

Protinus atque vices cumulatas fœnore reddat.
Numen, Divinum Numen, quod (ſidera quamvis
Fulgentiſque globus Lunæ, juga & aurea Solis
Inter inacceſſas Superum Sedes latitant
Circũdent utcumq; domum) tamen omnia comples,
Terraſque tractuſque maris, Cœlumque profundum;
Extra anni ſoliſque vias quod cuncta tueris;
O cui res hominum curæ; nutu Imperiorum
Cujus ſtantque ruuntque vices, nec vincere fas eſt,
Comminuiſſe ſimul decreſti, aut perdere contra,
Cum ſtatuiſſe velis, Veneræ ſi cœrula ponti
Regna Urbi, murorum inſtar, circumdare quondam
Viſum eſt, Hadriacis Reginam & ponere in undis,
Si majeſtatem Imperii producere ad uſque
Auroram, & Gangem, Venetorum jura, Senatus
Æmula Romani ſi vivere longus illo (6)
Juſſiſti, Italiæque unum ſuccurrere rebus
Priſcæ Libertatis adhuc; terræque mariſque
Bella inter, conjuratos & perdere Reges,
Excuſſiſſe tamen caput immerſabile ſemper;
Da, Pater, innumeris firmentur ut omnia Sæclis;
Perpetuoque virens renovetur, & aurea ſurgat
Ætas, Sint Veneræ propria hæc tua munera Genti,
Religio in primis, qua immenſum Splendet, avita,
Eximie qua TE colit, & qua, lucis in auras,
Obſtetrice velut, primum fuit edita; cunas
Quæ dedit, atque illi Cæleſtis pocula Lactis,
Dum creſcit, tantum, quo nunc ſe extollit, in ævum,
Solares vincat radios mage Splendida vultu.
Hanc colat, hanc foveat docilis ſtabiliſque juventus;
Hanc referat ſceleris pura, & ſimul integra Vitæ,
Moribus antiquis Veteres imitata Catones.

Ma-

Majorum laudes, præclara & facta parentum
Sic relegat, greſſus ſic per veſtigia ducat
Pone ſequens, ut peſque pedē premat, atq; Virum Vir.
At gravior quorum canis inſpergitur ætas,
Conſcripti, conſultando pariterque ſedendo,
Romanum in morem, vincant. Hinc Thracia Luna
Non, rapuit quæcūque, vomat modo; ſed minor Orbē
Oſtendat terris decreſcentem, uſque ſupremum ad
Interitum, Seſtonque iterum Claſſes & Abydon,
Et Byzantinas rurſum cum mœnibus arces
Obtineant Venetæ, ducente Leone, Cohortes.
Et Cypron, & Syriis proſciſſa ligonibus arva,
Quæque Paleſtinis Syrophœnix accola terris
Ingemit indigno, Turcarum oppreſſa, Tyranno.
Bethlemias Cunas, naſcentis Numinis Ortus
Quæ gremio excepere ſuo, Solymæque Sepulchrum
Divmū, heu nimium canibus data præda cruentis.
Auguror! Evenient! Voti reus ipſe, ſolutum
Non, Sanctam Senior vel Idumen adire recuſem.
Interea, nova Sæcla, ſuis dum, currite, fuſis
Perpetuo dicant concordes fœdere Parcæ;
Et ſegetum, & pecoris ſemper ſit fertilis annus,
Palladia & certent Bacchi cum munere dona,
Laudetur ſimili fœcunda puerpera prole,
Denique Fortunæ plenus Vos rivus inauret.
Teque adeo, Collegarum qui es, Marce, Tuorum
Grande Decus, Te fortunet ſic Numen amicum,
Magnanimo ut quæcumque agitas ſub pectore, cuncta
Dextra cadant, Votorum nec minimum ferat aura
Venturum jam pridem omnis Te Roma vocamus.
Jamdudum omne Forū Te expectat & omne Tribunal,
Nec diſcedentis Mocenici (7) clade dolentes

In-

Inſolabiliter, tantam deponere curam,
Quæ nunc nos coquit & verſat ſub pectore fixa,
Poſſumus, æquali niſi forte Vicarius illi
Protinus advenias, votorum oh ſumma meorum!
Nempe hic perpetuus, (8) Livj Scriptoris ab ævo,
Mos fuit Hiſtoricis; inviſere Romula coram
Mœnia, Terrarum quo totus convenit Orbis.
Hic Sacros poſſis ritus, pariterque Profanos
Edidiciſſe omnes populorum, omnem veteriſque
Imperii majeſtatem de ſemiſepultis
Veſtigare tamen cæmentis atque ruinis.
Hic, exeſa licet, venerabilis Amphitheatri
Perſtat adhuc moles, & Agrippæ Pantheon extat.
Plurima Templorum, & Thermarum rudera vivunt.
Immenſi Ductus operis ſtant denique aquarum.
Cumque viis, Arcus, ſtatuæque, ſepulchra, columnæ.
Sed magnum Novitas texerunt atque Vetuſtas
Certamen, certæ non cedere. Et utraque magnis
Judicibus, lite ardenti, ſua jura tuetur.
Ergo adſis, ac de ambabus tua ſplendida, MARCE,
Feceris arbitria; Expectant nam talia dudum.
Noſtra Antenoreum quamvis infantia Cælum
Hauſerit, Euganeumque ador uſurpaverit olim;
Romæ nutriri mihi contigit, atque doceri,
Adiecere bonæ paullo plus artis Athenæ,
Dura nec emovere loco me tempora grato.
Jam quartus decimo propior conjungitur annus,
Quo Corradinus (9) me cæpit habere ſuorum
In numero, juſſitque ſui veſtigia greſſus
Pone ſequi, imparibus licet ipſe relinqueret orſis
Proh quantum, longo ſibi proximus intervallo!
Ingenium quis namque Viri, quis paſſibus æquis
Do-

Doctrinam comitetur? Ear, quocumque vocarit?
Seu linguam cauſſis acuit, ſeu civica jura
Reſpondere parat, ſeu priſcæ tempora laudis
Digerit, & Patriæ curat ſuccurrere rebus.
Unde illum merito jamdudum coccina læna
Veſtiit, & ſequitur comitum longiſſimus Ordo;
Hic me, priſcarum per tot diſcrimina rerum,
In latitans rurſus Latium contendere juſſit.
Quis Latio Antiquo fuerit ſtatus, edere Libris.
Quos ego, Marce, Viri properans non mollia juſſa,
Exitum ad extremum jam pene utcumque peregi.
Scilicet ille prior Faſtos docuiſſe Latinos
Nos voluit: Mox, Setinis quæ gloria terris,
Expoſuit, Patriæ non immemor, ac Pater idem.
Proxima Circææ decoravit Litora terræ,
Dives inacceſſos ubi Solis filia lucos
Aſſiduo reſonans cantu noctuque diuque
Uſſit odoratam nocturna in lumina cedrum.
Dicta deinde mihi ſunt Spiſſi Littoris Antium,
Et Norbanorum pereuntum fortia Facta.
Per tria mox domitæ Romanis Sæcla Velitræ,
Dardanizque Coræ, poſt hæc monimenta vetuſta.
Lanuuium excepit; mox Ardea cum Laurento.
Duximus & tenuem Tiberina per Oſtia lintrem,
Albani rerum domini Romæ æmula corda
Exornati etiam; Nemoralis Atria poſt hos,
Excelſa & juga Telegoni; dein Algida rura,
Præneſtinatum celebrata & Templa Sororum.
Cinctus dicta mihi, Junonis & arva Sabinæ;
Nunc tandem extremo jam jam ſub fine laborum
Vela traho, & terris feſtino advertere proram.
Tiburis Arces, (ro) quo limite noſtra Sabinos
Di-

Diſtinguit Regio populos, monimenta ſecurus
Tiburtis Ager, quod me tantum juvat unum,
Quantum non indorum aurum, Peruvinaquæ gaza,
Non amplum Elyſium, Alcinoi aut pomaria Regis,
Fortunatorum nemorum ſedeſve beatæ.
Nuſquam plus tepeant hiemes, vel gratior aura
Leniat aut rabiem Canis, aut momenta Leonis.
Palladis hic Cererisque & amici regna Lycei,
Pomonæque ſimul, cunctarum & copia rerum,
Nobilibus lactant rivis quam Aniena fluenta,
Quam fovet, & ſemper mitiſſimus educat aer:
Utilis hic capiti & ſtomacho, fluit utilis alvo.
Hic laſſas reficit vires, hic feſſa novare
Membra celer, penituſque omnes depellere morbos,
Hic potuit magnos olim allexiſſe Quirites,
Ut Tibure ſolo tot tamque excelſa pararent
Culmina Villarum Græcis, longeque petitis
Marmoribus: quarum, velut oſſa relicta Sepulchris,
Rudera, teſtantur, fuerint qua mole Coloſſi.
Temperies eadem Sapientum nunc quoque Cœtus
Congregat ex Urbe eductos Octobribus horis.
Hos recreat reficitque, noviſque laboribus aptat.
Ut juvat antiqua recubare ſub ilice ramis
Hoſpitium patulis præbentibus! Ut juvat inter
Palladii nemoris, Zephyris motantibus, umbras,
Carpere iter, patili circum ſtipante Corona!
Nil ego contulerim Sapienti Sanus amico,
Qui mentis ſecreta ſuæ mihi promat: in aurem
Cujus & arcanam mea condam ſenſa viciſſim.
Sermo oritur, non de villis domibuſque alienis:
Nec, male nec ne lyram pulſet citharamve Bathyllus;
Non, quot amatores canos habet atra Lycoris,

Muneta quos miſere, quos pernox alea nudat.
Nec quæcumq; agitat brutum pecus atque repandum;
Circes infecti ſuccis, Ithacenſis Uliſſei
Remigium vitioſum, & opes conſumere nati.
Sed num divitiis homines, virtute beati
Num mage ſint? Veræ quænam ſit ſemita Vitæ?
Virtute quidnam melius ſit, quidve petitu?
Reſponſare cupidinibus, contemnere honores;
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa,
Res gerere, & Patriæ prodeſſe, & civibus, ipſum
Quod Jovis attingit ſolium, longeque futura
Tempora proſpicere, & turpem caviſſe ſenectam.
Interim aquæ comites ripis labuntur ab altis
Fit via vi, pronus trepidat cum murmure rivus,
Arboribuſque queruntur aves paſſim inſidentes.
Hinc & oves paſtæ, properantque in tecta capellæ,
Agricolæque boves inverſo vomere: veſper
Inque locum Phœbi nitido procedit Olympo;
Admonet & feræ pariter decedere nocti.
O noctes cœnæque deum, conviva ſolutus
Legibus inſanis quibus aſſidet; & generoſi
Seu lenis potius, prout vult, ſibi pocula poſcit!
Hæc eadem dilecta mihi Tiburtia rura
Suffecere animos, ut Te ſermone pedeſtri
Nunc, Marce, interpellatem quod tempore lævo
Ne fuat o utinam? Verum dexter mihi fac ſis!
Hadriaco donec ſolvens Tua littore puppis
Te Magnum Oratorem exponat præpete curſu
Romulidum in terras, velocibus eſſeda mannis
Te ſtatuant Urbi, mihi longum ubi denique detur
Et majeſtatem venerari, & amore fovere.

JO-

❀ III ❀

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU

EPISTOLA. III. TIBURTINA
AD

ANGELUM MARIAM
TITULI S. MARCI
S. R. E. BIBLIOTHECARIUM
CARDIN. QUIRINUM
BRIXIENSEM ANTISTITEM
Cum e graviſſimo morbo convaluiſſet

ANNO SALUTIS CIↃIↃCCXXXVII.
MENSE OCTOBRI.

Edita eſt Brixiæ Anno Sal. 1738. apud Joannem-Mariam Rizzardi in fol. & iterum ac tertio ibidem in Libro, cui Titulus: *Corona de Componimenti Poetici &c. in Lode dell' Emo Signor Cardinale* ANGELO MARIA QUERINI *&c. raccolti da D. Angelo Zanardelli Profeſſore di Rettorica, tragli Arcadi Filaſtrio &c.* & Seorſim Sæpius.

ANGELO MARIÆ QUIRINO
S. R. E. CARDINALI BIBLIOTHECARIO
BRIXIENSI ANTISTITI
VIGILANTISSIMO

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS
SOCIETATIS JESU

SOTERIA (1)

HUMANIS ſemper guadens illudere rebus,
Quam facimus Fortuna deam, cæloque locamus,
Ut nuper ſummo Stantem me (2) Vertice in imum
Eſt conata Rotæ revolubilis abdere fundum!
Dum Tiburtinis in collibus Autumnales
Securus luces agito, vallatus amica
Charorum turba, mecum monumenta repoſtis
Addita quæ terris veſtigat priſca Latinis.
Verum eſt? an nimium male creditur uſque timori?
Verum eſt? præcipiti quod nuncia fama volatu
Huc ex Urbe ruens reſonavit triſte & acutum?
TE, Rerum, TE, Grande Decus Columenq. mearum,
Magne QUIRINE, mori jam jam? Ah, TE, qui potior Pars
Noſtræ animæ es, morti ſi vis maturior urget,

Si

Si rapit, heu ſubito, fruſtra pars altera reſto:
Dimidius quid enim in terris, mancuſque morer cur?
Inſtat ſi fatum Tibi triſte, ſupremam etiam horam
Impendere mihi, me tecum auferre neceſſe eſt.
Ibimus, o Pater, o Princeps, ſimul ibimus, ambos
Involvet turboque, Ducem comitemque paratum.
Perfida non ego Sacramenta ex impete dixi
Actus amoris. Utramque dies trahet una ruinam,
Miris namque modis noſtrum conſentit utrumque
Sidus, & æquales ambobus temperat horas.
Hæc ego compreſſis moeſto ſub pectore labris
Dum queror, & vulnus celando, totus in hoc ſum;
Quæ præclara (3) Tua eſt operata inſignia Virtus?
Horrida quantumvis lethi facies, tamen ipſe
Impavidus venienti, æque imperterritus, illi
Occurris; prohibeſque dolentes undique luctus,
Dedecus ut magnum, importunas atque Tuorum
Amandas longe lacrymas. hinc funus amico
Lumine conſpiciens (quod raro his, ædepol, unctus
Temporibus, vel Neſtorea facit ille Senecta
Jam gravis, & depontanus, centeſima meſſis
Quem pellit, quartuſque nepos jam cedere cogit.)
Tu tamen approperans vicinum funus amico
Lumine conſpiciens virtutis propoſitum urges
Calcatum conſtanter iter, dum mora propinquat.
Et quamvis media florens ætate, querelis
Haud tamen aggrederis Parcas, quod Stamina nerint
Heu! Tibi longa parum, cornicibus indulgentes
Sæcula, & antiquis tercentum quercubus annos.
Numinis at patiens, quidquid ſuprema voluntas
De Te conſtituat, promptiſſimus excipis. *Unum*
Velle Tuumque Deique facis; nec flecteris uſquam.

Pau-

Pauperum amor, teneris TECUM qui creverat uſque ab
Unguiculis, grandis jam, jamque & maximus, idem
Claudere juſſus erat ſpatia, & quæ credita Vitæ
Extrema (4) *Heredes monumentum ne ſequeretur*,
Non fuit hoc curæ, Miſeris ſed cura mederi
Una QUIRINE, TIBI; Tabuliſque noviſſima Verba.
Gratulor hæredem, Lectus meritiſſimus unus
Eſt Deus ipſe TIBI, latitans ſub paupere quoque.
Mox alacris, terreſtri omni ſic pulvere terſo,
Cæleſtem in Patriam Divina Viatica ſumis.
Supremam ad Luctam, ceu athleta paratus, inungi
Sacro ultro hinc Oleo poſcis, ſcribiſque Sepulchro
IPSE TUO jam jam inſculpendum lugubre carmen.
Quo mihi nunc fortes, bello queis vivida virtus?
Illorum quiſnam conſtanti lumine mortem
TE magis aſpexit? certe TIBI cedere viſa eſt,
Atque referre pedem exertamque recondere falcem.
Vota valent. Superi flectuntur, membraque vires
Protinus arripuere, medentum & provida cura
Multa juvat: populiſque redonatum eſſe QUIRINUM
Candida fama refert, tota & circumvolat Urbe.
Nec ſe continuit Portis, ſed ad uſque Catilli (5)
Mœnia, læta volat, cunctis & *Plaudite* dixit.
Nos, quibus unum opus, ut tam Sanctæ clauſula vitæ
Proſequeretur, erat, meritis a laudibus, icti
Fulminea veluti flamma, tetro omnia luctu
Et miſero implentes queſtu, *redivivum*, ut, *adſlat*
Audimus, pendet nobis vita unde, QUIRINUS,
Quas dedimus grates, Superis quæ thura benignis?
Pectore quæ ex imo ſurgentia gaudia vultus
Oſtendit? quot *Io Pater* adgeminavimus? & quot
Euge QUIRINE, *vales valeas euge*, *Optime Princeps*,

Plau-

Plaudite Palladii colles; plaudentibus Echo
Aſſonet: ipſe Anien feſtivis turgidus undis
Euge QUIRINE, *Vales*: *valeas*, *vivaſque beatus*!
Aſſiduo ingeminet plauſu: tam dulce volucres
Ore melos teperant, circum Tiburtia rivis
Mobilibus ſemper pomaria germine læta.
Tum veluti ex alto erepti, circum undique pontum
Exhortemus adhuc, ipſumque in littore portum
Fluctibus inſtabilem ferri, triſtis trepidat mens.
Heu caditin quemquam tantũ ſcelus? Heu TUA nobis
Pene ſimul TECUM ſolatia rapta, QUIRINE?
Quis coleret Muſas? honor & quis Numinis Aris?
Virtutis quis præberet cultoribus umbras?
O Patrii indigetes Superi, Tu Diaque Veri
Numinis Alma parens in primis, nomine cujus
Inſignem placuit nos compellare QUIRINUM,
Hunc ſaltem everſo longum ſuccurrere Sæclo
Ne prohibete Virum: jamdudum Regia Cæli
Invideat licet, & meritis cumulare coronis
Geſtiat, ah reliquis tanta haud jactura ruinis
Accedat cumulus; nimium nimiumque ſceleſti
Pænarum dedimus. Sata læta boumque labores
In ſtipulam arentem vertit nunc Sirius ardor,
Et modo perpetuis putruere in gramine nimbis:
Agricolaſque boves eurvi ſub pondere aratri
Inficit atra lues, & funere meſſat acerbo.
Armorum ſontuſque, & quæ curvantur in enſes
Aſſidue falces, æternis horrida bella
Suffecere odiis; poſtquam Diſcordia terra
Chriſticolas potuit furiis incendere mentes,
Et conſanguineos violata in fœdera reges
Impulit, humano & maculavit cuncta cruore.

Vi-

Vidimus undantes, ruptis fornacibus, ignes,
Flammarumque globos, liquefactaque Volvere Saxa
Parthenopen; qua Nola jugo vicina Veſevo
Elyſii ſpeciem præ ſe tulit ante beati.
Odryſius jam jamque minax inſtare Tyrannus
Dicitur, & noſtris ſic cladibus inſultare,
Nil puter ut factum, Thraci niſi milite Portas
Romuleas frangat, media & ſter Luna Suburra.
Vos tamen, o Superi (6), Cæleſtis Claviger, inquam,
Qui Vaticano componere Mauſolæo,
Vos Marci Gemini, Venetæ cui publica cura
Gentis, Romulea præfulgens, Tuque, tiara,
Vos Abdon, Sennenque, precor, Philaſtrius, Ephrem,
Cæleſteſque Alii, incolumem ſervare QUIRINUM!
Si veſtrum Decus ille, novas ſi cernitis Aras,
Munifica ſi Templa manu, Monumenta vetuſto
Semiſepulta ſitu quondam ſquallentia, ſi nunc
Marmoribus decorata novis, fulgentiaque auro
Veſtra nitent; miſeris ah conſervate Parentem!
Hæc ego dum aſſiduus, contento poplite, vota
Ore animoque ſimul repeto, Superoſque fatigo;
Poſt mediam noctem, cum ſunt inſomnia vera,
Qua Tiburtinæ conſurgunt templa Sibyllæ,
Intonuit lævum. Viſum diſcedere cælum.
Fulgentes micuere faces, & conſcius æther
Oracli, vox clara meas hæc fertur ad aures:
Ponite corde metus; Vivet peragetque QUIRINUS
Munifici in ſeram fortiſſimus uſque ſenectam,
Chara Deo Sobolis, & Numinis argumentum
Cuncta ſupercilio mortalia facta Moventis.
Huic *Vaticanam Superum Rex annuit Aulam.*
Ferrea tunc Ætas cedet. Gens Aurea Mundo

 Sur-

Surget, *Terrarum* Hoc *moderamina ſumma tenente*.
Dixit, & inſolita cunctos dulcedine lætos
Reddidit eventus animos ſpes certa futuri.
Evenient! quis enim cælum, quis, dicere falſum
Audeat? Optatis properent o tempora Rebus!

J O-

❁ IIII ❁

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU

EPISTOLA .IIII. TIBURTINA

AD

DOMINICUM

TIT. S. BERNARDI AD THERMAS

S. R. E.

CARDIN. PASSIONÆUM

PONTIFICIARUM BREVIUM LITTERARUM
A SECRETIS
PRÆSTANTISSIMUM

ANNO SALUTIS CIƆ IƆ CC XXXVIII.
MENSE OCTOBRI.

DOMINICO
PASSIONÆO
S. R. E.
CARDINALI AMPLISSIMO
PONTIFICIARUM BREVIUM LITTERARUM
A SECRETIS
PRÆSTANTISSIMO

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS
SOCIETATIS JESU

QUAMVIS Oceano Ganges, Niluſque, Nigriſque,
Euphrates, Tameſis, Tagus, Argentique fluenta,
Danubius, Padus, & Tiberis, celeberrimi & Amnes
Innumeri, magnis de fontibus, & mæandris
Grandia dona ferant immenſæ munus aquai,
Non tamen idcirco ceſſant decurrere Rivi
Exigui laticis, ſine nomine: non tamen illos
Reſpuit Oceanus vel parva tributa ferentes.
Sed gremio capit uſque ſuo, communibus undis
Permiſcetque, paterque velut communis, adoptat.
Cur Te igitur, vaſti licet Æquoris inſtar, adire
Qualiacumque ferens Tibi, PASSIONÆE, (1) tributa,
Aut Rivi aut ſcatebræ in morem mea Epiſtola ceſſet?
Aſſueſti a teneris (ſcimus) generoſus Avitæ

No-

Nobilitatis Honos, ſub pectore voluere magna;
Ardua quæque ſequi jam tum; ſpectare Suprema;
Spernere humum pennis fugientibus; alta volatu
Magnanimo petiiſſe. Recondita Pallas Ephebo
Doctrinarum arcana Tibi quæcumque recluſit.
Te Clementini Suſpexit Roma Lycei
Grande decus Divinorum Decreta Sophorum
Enodantem, atque ingenti ſimul eloquioque
Egregii ſpecimen præbentem, melle paratum
In Pugnas, denſa circum plaudente Corona,
Eventura Tibi, quæ ſucceſſere, precata,
Nec mora: Romanæ, Tu Publica Munia tractas,
Aulai in medio, prima vernante juventa.
Non Te Roma capit, non ipſa Oenotria, ſummis
Legatum ſed de rebus feſtinat ad altos
Mittere Te Helvetios Clemens Maxima cura,
Experti & gnavum atque Catum, tum grata locutum
Principibus placuiſſe Viris (quæ haud ultima laus eſt.)
Continuo excelſas impleſti Cæsaris aures,
Vindobonam juſſus properare, & adeſſe Supremis
Conſiliis Regum bellique domique movendis.
Difficilis proh quantum artis, ſummique pericli
Plenum Opus: inceſſit occultos tamen Ipse per ignes
Illeſuſque catuſque, viæ Sapientia qua Dux
Monſtrabat cineris calles caviſſe doloſi.
Pectore Te tum Clemens, Te Carolus ultro
Accepit. Mire placuiſti gratus utrique.
Ergo Magnorum tantùm Conviva Virorum,
Et Collega ſimul cultorque, & cultus ab illis,
Stipatuſque, velut magnis ſolet amnibus eſſe
Oceanus, tamen haud tenues contemnere rivos
Conſueſti, illimes, & puri gurgitis undas,

Dum-

Dummodo dona ferant. Cyrrhæ Pindique liquores,
Quos *Puer* hauſiſti, TIBI pocula grata perenni
Præbuerunt Studio. Phœbum, Phœbique ſorores
Dilectas TECUM duxti ante omnia Muſas.
Hinc Venuſinarum (2) Legum præcepta ſecuto
Res tractanda TIBI eſt delecta potenter, & altum,
Eugenii Laudes ſunt Principis, Argumentum
Decurſum Stadio ingenti feliciter, æque
Invicto Duce laudato, quam Cæſare dignum
Auditore. TUÆ tanta eſt facundia linguæ!
Dignum Opus & cedro quod conſignetur & auro,
Seraque Poſteritas ſimul immortale perennet.
Hoc fuit, exceptum Magni Genitoris ab ulnis,
Sedula ceu nutrix, quod fovit VULPIA Cura, (3)
Et Pexum, Nitidum, bene curata cute ſplendens,
Biſque Antenoreo Comiuo edente recuſum
Prodiit, ingeniorum in publica commoda factum.
Scilicet eſt operæ pretium, ſecernere, multùm
Sudata, & multis vigilata laboribus, annos
Inque novem compreſſa domi TUA pignora Mentis
Cui dederis vulganda, mali, ne mobilis horæ
Puncto, Opus Annorum peſſumdes crimine præli.
Offenduntur enim, quibus eſt equus, & pater, & res,
Et ſcombris tunicas amaodant, atque cucullos
Dant piperi, libros male cuſos, pagina curta
Quos ob avaritiam ſpatiis concludit iniquis,
Nigraque chartarum fæx excipit, atque elementa
Componunt fugientia, quorum ſphalmata mille
Deturpant vultus, laniatque immenſa cicatrix.
Suffeni, Vati, Prodocti, Prodocimique,
Abſente hæc domino, aut ſtertente, Venena propinent
Vilia ſectanti tunicam ſcruta pupello;

Non

Non Tui, tam emunctæ naris, limæque minutæ,
Paucis qui offendi maculis, incuria fudit
Quas, humana parum cavit naturave, poſſis.
Qui Pariſiacos Stephanos ſectare, Cramoſos,
Turnebos, Junctas, Plantinos, atque Joltros,
Qui Gryphios, Elzevirios qui, Manucioſque;
Nec niſi ſelectæ dignaris pondere chartæ.
Non quod ames phaleras rasorum, vultuſque decoros
Librorum, vel fronte rubra, vel margine lata
Delectere, quod totus ineſt ſecurus omittens,
Sed quia vis puro de fonte haurire fluentes
Priſcorum latices & opes, corruptaque limo,
Quiſquiliiſque Operarum odiſti flumina adire.
Hoc ſtudium ſemper properaſti parvus & amplus,
Dum complere libri vis Munus Apolline dignum,
Inque Quirinali ſuprema jure locandam
Sede paras ditem, pretiatam Bibliothecam, (4)
Undique collectam, ſurgente a Sole ad eum, quo
Veſpertino tepet regio, ſeptemque Triones
Obliquus qua proſpectat, longinquus & alget;
Quoque propinqua nimis regio calet Africa, Mauro
Perfuſa Oceano. Linguarum hinc copia tanta eſt
Membranis totus poſitis Tibi parta, Babelis
Quanta in Turre fuit, poſtquam Diſcordia tetra
Unius labii prius e ſermone Gigantas
Mille peregrinis voces variare loquelis
Edocuit, cunctis ſcindens commercia terris.
Maxima pars tamen eſt Grajo Latioque loquentum
Librorum eloquio, quorum, ceu ad Templa Sacerdos
Muſarum, Phœbique adytis lectiſſimus Ipſe
Semper ades, quando a teneris penetralia Linguæ
Intimaque, & veneres penitus patuere repoſtæ

Egre-

Egregie Tibi, ſermones (5) edoctæ utriuſque;
Scilicet & Latia & ſimul exemplaria Græca
Nocturna verſare manu, verſare diurna,
Hoc Tibi delicium, hoc ſtudiũ, atq; hoc deniq; melli eſt
Dimiſſis iſthic curis civilibus Urbis,
Atque Orbis pariter ceſſas, vulgoque remotus
Te involvis (6) virtute Tua, latitasque beatus.
Prima Valentini, (7) latet qui fidus Achates
Uſque Tuo viſus, poſtquam regreſſus in Urbem es,
Cura fuit quondam hæc, Colliſque a Vimine (8) dicti,
Diocletianarum (9) Thermarum ubi mænia ſurgunt,
Reliquiæque, piis opus immortale catervis
Chriſticolarum extructum; ubi Claræ Vallis Alumni
Bernardi Patris exemplo gratiſſima Cælo
Carmina Sacra canunt noctuque diuque, remoti
Longe æſtu & curis Urbis, Populoque Quiritum.
Riſit enim Tibi præter cunctos Angulus ille,
Urbanis feſſus curis, quo tendere poſſes,
Et latitare ſimul, ſimul & Tibi vivere, Romæ
Quò, ſtrepitu & fumo procul, abdita quærere veri
Verſandis Veterum libris, requieque benigna
Docere Sollicitæ jucunda oblivia Vitæ,
Bernardi Patris exemplo, cujus Tibi cultus,
Cujus amor primis tantum conceptus ab annis,
Crevit in immenſum, poſtquam pia vota Clientis
Implevisse ſui Divus ſolet Optimus ultro.
Inde, igitur, Rubri Titulum Nomenque Galeri
Bernardi, Ad Thermas, optaſti dicier: inde
Sumta Tibi Grecis eſt Fuliensis Provida Cura.
Nec tantum in Clara Romanum Valle frequentas
Seceſſum; at charos alio quoque viſere Alumnos
Mos Tibi, cumque Illis, liquida eſt, ceſſare, voluptas.

F Te-

Teſtis adeſt, nivibus candens, Soracte, (10) Sabinis,
Hoſpite cum tanto viſum eſt geſtire, geluque
Expedit Silvas oneratas; inque latebris
Te Magni quondam Silvestri accepit, ut illi
Succeſſorem olim Romana in Sede locandum.
Auſonias quamquam Ipse nives intertitus ambis,
Germanas Scythicaſque pari tot luſtra ſuetus.
Nonne mihi nuper narrabas, per juga ſumma
Scandere Te ſolitum nivibus contecta vel ipſo
Sextili menſe, & Nonis, quibus area quondam
Prodigio ingenti, candore obducta nivali,
Exquilris Magnæ deſcripſit templa Parenti
Quo ſacranda ſita, fervente Leone per æſtus
Summos, immenſis ardente caloribus Urbe,
Illis, narrabas, Nonis, Te Clauſtra Piorum
Culminibus Germanorum latitantia ſummis,
Per medias adiiſſe nives, quas plurima cælo
Tempeſtas horrenda ingens properabat ab alto
Mittere, ceu, cum Italus contriſtat Aquarius annum.
O Pater, O Princeps, per quanta pericula vectum,
Aerias toties Alpes & teſqua ferarum.
Emenſum, Scythicas toties paſſumque pruinas,
Feſſumque accipimus? tandemque videmus in Urbem
Te rurſum rerum Dominam rediiſſe! capeſſis
Magna quidem, primis ſed jam Tibi debita ab annis
Præmia longorum tandem collata laborum.
Ante diu, quo nunc fulges, quæ neverat oſtrum,
Nebit olorinæ Triplicis Tibi Regna Tiaræ,
Sublimemque feret Te cuncta per ardua Virtus.
Flaminia (11) interea reducem gratatur, apertis
Semproniique Forum occurrit Tibi Patria Portis;
Sedibus & convulſa ſuis Provincia, vultus

Longis optatos Votis venerarier ambit.
Sed Patria in primis, titulos quæ Gentis avitos,
Splendores & opum, primas quæ denique cunas
Priſca dedit Tibi, & abſente eſt fraudata tot annos,
Quæ deſideriis ſic icta fidelibus, iſtum
Appropetare diem, ſibi quo jam redderis, urſit,
Gaudia ſumma capit. Populo gratiſſima namque
It ſubito ipſa dies, quam præſens ore ſerenas;
Et meliore nitent, ceu Verni, lampade Soles.
At, quamquam variis exultet vocibus æther,
Vicini refluens quibus aſſonat unda Metauri
Plaudentis; concors tamen eſt vox Civibus una,
Qua TE non ceſſant PATRIÆ ingeminare PARENTEM.
Læta Tuos quoque Tibures, ea fama Clientes
Nos, inquam, tetigit, qui abſentis damna triumphi,
Qua pote, penſamus, parvo & ſermone PATRONUM
Te alloquimur, majore tuba ſi non datur uti.
Nam, quamvis pridem me compellare Poetam
PARRHASII NEMORIS Cuſtos, atque Arcades omnes
Annuerint; CRANEUS ſoleamque audire BIANOR; (12)
Paſtorum blandis tamen haud ego vocibus aurem
Credulus applicui; cum nec TE PRINCIPE digna
Dicere, nec Magno valeam cantare QUIRINO
Carmina: Sed ſenis pedibus me claudere verſumq;
Delectat ſermone mero, Muſaque pedeſtri,
Eximii ritu Vatis præeuntis Horatj; (13)
Cujus non alta ſplendeſcit Epiſtola cura
Plurima; Mæcenas cui non tantum Optimus olim,
Ipſe ſed AUGUSTUS Scribenti adſurgere viſus,
Atque queri, ad ſe ejus quod Epiſtola nulla veniret.
Quod mihi pene idem, tenui licet atque puſillo,
Tamque infra cenſum mihi Præceptoris Horatj (13)

Contigit, eſſe aliquem Magnus namque ipſe Quirinus,
Me Fuscarenus putat Optimus eſſe. quibus Te,
Ambitione relegata, fac jungere poſſim,
Passionææ. Tibi Romanum gratuler Oſtrum
Interea, ſine, fraternis concentibus uſus. (14)
Quæque ille Euganeis nuper de collibus, atque
Fontibus eſt Aponi Tecum gratatus amice,
De Tiburtinis eadem hæc ego montibus, atque
Simbruviis (15), fluit unde Anien, de Fontibus, uno
Ore animoque canam; fraterno & munere fungar.
Grandia geſſiſti, Princeps; Te grande coronat
Nunc Decus. At fortunatum Te dicere nulla
Sorte queam, Merita exæquant ſi lance coronam.
Purpureos, igitur, Patres, Sanctumque Senatum,
Gratulor, ornans Collega, Purpura honorem
Cui defert debetque ſimul, non mi nova rerum
Surrexit facies, Verum expectata tot annis,
Tot votis ſperata meis, certo omine, Vatis
Inſtat, viſa mihi, mihi præconcepta dies hæc
Affulſit tandem, qua Præmia digna tuliſti.
Grator & ipſe mihi: nam Te Majore Patrono
Uti poſſe datur. Gratorque ante omnia Muſis,
Artibus atque Bonis, cunctiſque colentibus illas,
Te Mæcenatem ſortitas ſede locatum
Auguſta, nec Farnesiis Bembisve Minorem,
Atque aliis paribus centum, qui mente manuque
Ceſſa & munifica præſtabant aurea Sæcla.
Denique Te Magnis auctum, Majora merentem
Semper, dum memini, Statuendum Sede ſuprema
Confido, & non vanus Vates auguror, olim.

Jo-

V

IOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE IESU
EPISTOLA. V. TIBURTINA
AD
IOSEPHUM MARIAM HERCULANUM
PRÆSULEM IN ROMANA AULA
AMPLISSIMUM,
EUMDEMQUE VIRUM OMNI SCIENTIA
CLARISSIMUM

ANNO SALUTIS CIƆIƆCCXL.
MENSE OCTOBRI.

JOSEPHO MARIÆ HERCULANO
VIRO DOCTISSIMO, AC POETÆ EXIMIO

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS
SOCIETATIS JESU SACERDOS

FELICITATEM.

HERCULEA (1) de Gente licet, Divine Poeta,
Sis genitus, Præclarus Avis, & cenſus equeſtrem
Summam nummorum, Patriæ ditiſſimus inter
Cives Ipse Tuæ, Violaque ornatus, & Oſtrum
Romanum toties meritus; me nil tamen horum
Ut Te. Suſpiceremve, Tibive Clientulus eſſem,
Impulit: ad populum phaleras, fucataque namque
Conſuevi bona cum plauſu dimittere prudens.
Sed Tua mens (2) excelſa, Tua & ſapientia cunctis
Artibus, ac ſtudiis ornata, imbuta, madenſque,
Effuſiſque foras in Publica commoda rivis,
Fluminibuſque, aſſueta ſuos ditare Sodales:
Præcipueque lyra gaudens, fidibuſque canoris
Etruſcos complexa modos, quos Phœbus amaret
Ipſe ſuos dici, pariter Phœbique ſorores,
Virginis (3) intactæ, ſeu Primos concinis ortus,
Conceptuſque ſacros ſine labe, aut cum modularis

Jeſ-

Jeſſæa umbratos cæli (4) Sulamite Triumphos:
Tale Tuum nobis Carmen, Divine Poeta,
Quale ſopor feſſis in gramine, quale per æſtum
Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere rivo.
Quid quod ab æthereis poſtquam deſcendere regnis
In terras rurſum placitum Tibi, tum pede fauſto
Terrarum tractus omnes, maria omnia luſtras,
Antipodaſque ipſos (5) duodena in nomina didis?
Perſpicua brevitate Opus, & rerum novitate,
Quod ſemel impreſſum manet alta mente repoſtum.
Nec tantum ſemota locis, præſentia nobis
Adducis velut; ſed & olim tempora priſca,
Mirandum! revocas, quoties de ſemiſepultis
Ruderibus Grajas Romanaſque ordine moles
Veſtigas; quaque arte refers & imagine formæ
Inſeruiſſe caput viſæ inter ſidera quondam.
Hinc Tuſci, Jonii, hinc Dores Tibi & ipſa Corinthus,
Vitruique manus centum ingenioſa figuris,
Circini (6) ut in triplici cunctas comprendis hiatu
Menſuras (digitis appendit ceu tribus Orbem
Terrarum Deus) haud renuunt ſubmittere faſces
Felix, qui falſis nunquam deceptus, ab ipſo
Te Puero (7) conſtans ſemper bona vera ſecutus
Altius humanis caput extuleris, neque inani
Ambitione vagum Ventoſo Gloria curru
Te rapuit; neque Te rumores ante Salutem
Ponentem, ceu Turba ſolet, miſeravimus umquam.
Virtutis Veræ at Cuſtos, rigiduſque Satelles
Fumum, & Opus, ſtrepitumq; Urbis perſæpe paternis
Commutans rectis, Picentes providus oras
Acceſti. Sena excepit, mox Pergula culta,
Dorica & Hadriacis obnoxia fluctibus Ancon,

Cum-

Cumque Novo (8) tua Patma Foto, quo prima juvcta
Ducta Tibi, Gentiſque Tuæ Titulique Decuſque.
Illic aſſidui Comites Phæbuſque Novemque,
Poſthabitis Delo ac Pindo atque Helicone, Sorores
Divini hæſerunt tracti dulcedine cantus.
Te tamen ad Dominam rerum contendere Romam,
Urbani (9) Arcadiæ Paſtores obtinuere.
Te INFOECUNDORUM (fœcunda at pectora) COETUS,
Illis Grande Decus, Lux præſidiumque futurum.
Sæpe per Autumnos hilaraſti Tuſcula rura,
Tiburteſque Tibi Vetni patuere receſſus;
Teque Antenicolæ exultarunt Hoſpite Nymphæ.
Hæ dulcis memores cithara Tua Carmina rurſum
Expectant; quæ, priſcæ olim ceu Oracla Sibyllæ,
Albuneum propter Templum, immortalia facrent.
Ergo adſis, veteremque Tuum ſolatus amicum,
Impoſitus mannis nos, Dulcis Amice, reviſe.

❧ VI ❧

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU
EPISTOLA VI. TIBURTINA
AD COMITEM

ALPHONSUM ALDRIGHETTUM

PATAVINUM
Virum Patricium, ac Poetam Egregium
DE
CLARISSIMI AC CELEBERRIMI VIRI

ALVARI CIENFUEGOS

EX EADEM SOCIETATE
CARDINALIS AMPLISSIMI
ROMANA PURPURA
EDITA EST ROMÆ ANNO SALUTIS CIↃIↃCCXXI.
MENSE SEPTEMBRIS, &c.

JOSEPHI ROCCHI VULPII
SOCIETATIS JESU
DE
ALVARO CIENFUEGOS CARDINALI
EPISTOLA VI. TIBURTINA
AD COMITEM
ALPHONSUM ALDRIGHETTUM

POSTQUAM victrices Aquilas in barbara Cæſar
Regna tulit, domuitque feros ſemperque rebelles
Odryſiæ late Populos felicibus armis,
Fortia facta Patrum, præclara Exempla ſecutus
Magnanimi Genitoris, Avum molimina complens,
Cornibus unde minor defecit Thracia Luna,
Anguineas conſciſſa comas laniataque fœdos
Cæca ſuperſtitio traxit de vulnere rictus:
Ac Pia Religio, ſubverſis undique Templis,
Atque prophanorum ritulis, ſua ſigna, ſuumque
Protulit Imperium, juſtum quacumque Triumphum
Cæſareis invecta rotis ex hoſtibus egit:
Ibat cærulea in puppi, qua maximus undis
Danubius Pater effuſis ſeſe æquoris inſtar

Di-

Dividit, ingentes & tergo innare carinas
Suſtinet, hac claſſem Spoliiſque auroque ſuperbam
Carolus ad patrias ſedes, tot victor agebat.
Stant circa lecti Proceres, & Marte cruenti,
Victricique omnes incincti tempora lauro.
Primus & ante alios, bello cui maxima virtus
Threicius Pavor Eugenius, quem plurima circum
Aſſiduo ſequitur plauſu Germania pubes.
Dumque iter intendunt adverſo flumine remis;
Et lenes auræ ſpirant in vela vocatæ;
Carmina læta canit ſuperis Exercitus omnis.
Primo Bellorum Numen, dein Numinis Almam
Voce vocans Matrem, ſua munera quiſque fatetur,
Edomuiſſe feros hoſtes, nec viribus æquis,
Nec numero, Verum Cælo duce, & auſpice Cælo
Cæſaris & laudes addunt, queis tympana cantu,
Et tuba terribilis quibus aſſonat ære canoro;
Claſſicaque, & curvo venantum cornua dorſo.
Aſſultant late ripæ, percuſſaque longe
Littora, nec tantum ſuſdeque binominis Iſtri
Accola, viſendi ſtudio, fremituque vocatus,
Riparumque toros complet, premiturque viro vir,
Et pede pes, medioque natat jam fluminis alveo,
Miraturque duces, & Belli Numen adorat:
Aſt in ſepoſitis agreſtia numina Fauni
Errantes ſilvis, & capripedes Silvani,
Cum Satyris, Paneſque, jugis & Oreades actæ
E ſummis, Dryades nemoroſis cumque Napæis,
Et quæcumque ſacro reſident ſub gurgite Nymphæ,
Quæ lætæ in numerum ducunt de more choreas,
Et repetunt quæcumque canunt nova carmina puppes.
Quin etiam ipſa cavis latitans convallibus Echo,
Nym-

Nympha olim, nunc tantum vox tenuiſſima, CÆSAR
VICTOR! Io! repetit, quoties exercitus omnis,
VICTOR! Io! CÆSAR, dixit, nemora avia longe
Pulſa ſonant, fremituque feræ tremuere, ſilentque;
Notaque non audent inquirere paſcua, quamvis
Cæca fames ſtimulet prædas agitare repoſtas.
Interea Cæſar Victoribus armaque & oſtro
Suffuſas veſtes, capitis geſtamina mulio
Circumtexta auro, baccata monilia, inaures,
Et quoſcumque Aſiæ molles geſtare ſuerunt
Femineos populi ornatus, dum prælia miſcent,
Donat habere viris ſua munera: proque labore,
Et virtute, refert donatus præmia miles.
Sed qui vim belli curſantes undique primi
Suſtinuere Duces; quorum victoria parta eſt
Conſilioque, manuque; novis decorantur, avitos
Queis cumulent titulos, magnis & honoribus auctos,
Illos imperio Cæſar bellique domique
Addicit rerum ſummæ, ſanctumque Senatum
Adlegit; illorum magnis ſuffragia rebus
Conſiliiſque adhibet: meta hæc optata laborum eſt.
Jamque propinquabant terræ; cum ſidera toto
Incipiunt cælo tenebris fulgere ſuborteis.
Et jam Phæbus equos pelagi demerſerat undis,
Tranſtra per, & remos, proſternitur undique miles,
Et cantu laſſus, venaſque inflatus Jaccho,
Accipit, & toto proflat de pectore ſomnum.
Flumina magna ſilent, &, qui ferit æthera, clamor
Nauticus; & pictæ volucres, & cuncta per omnes
Sparſa ſilent, & feſſa jacent animalia terras.
Præcipue ducis mortalibus aſpera ſomnus

Cura-

Curarum mulcens, totos complectitur artus.
Vix ducunt pauci lentiſſima brachia nautæ,
Impelluntque rates; nam lenis euntibus Eurus
Adſpirat, tacitoque vix fert impete claſſem.
At Cæſar nullam potis eſt in pectora noctem
Accipere, ingentes curas ſed corde volutans,
Atque huc, atque illuc ſtratorum murice fertur.
Nec ſomnum faciunt pretioſa aulæa, nec auro
Stragula contexto veſtis, nec byſſina lina
Æſtuat infelix; quamvis huc Victor ab oris
Odryſiis, latè totum tremefecerit Orbem;
Tutaque Marte ſuo per patria flumina curat;
Et Vigiles mixti haſtis, & ſcuta tenentes,
Excubias agitent circum tentoria Regis.
O quoties, felix, dixit, qui patria rura
Urbe procul coluit, nec Martis nomina novit,
Nec ſota; nec tanto curat mea plena tumultu
Sceptra! Sed ut pecudes parvo concluſit ovili,
Non avide coenatus, aquæ vel margine in ipſo,
Sub dio, vel certe humilis ſub culmine tecti,
O placidos ſomnos palea porrectus in horna
Accipit, & nulla turbatur imagine rerum
Dicite, Pierides, Regum quibus intima nota,
Dicite, Cæſareum pectus quæ cura momordit,
Quæ potuit tanto mentem verſare tumultu?
Munera magna quidem Ducibus Te Cæſare digna
Heſterna jam luce dabas (ſecum hæc Ipſe volutat
Carolus) hinc a Te nemo indonatus abivit.
Credo equidem. Sed pacis babent quæ præmia fidi
Antiqui comites, ceſſa quos Urbe Viennæ
Liquiſti, expertus toties laterique fideles,
Conſilioque pios, excelſa & mente potentes

Rebus in anguſtis? quos omnes eminet inter
ALVARUS (1) in primis fidus comes. ALVARUS ille
Cui CENTUM, cui mille IONES dant nomina, cujus
Clareſcit Decus Heſperus, clareſcit Eois
Littoribus, quacumque diem ſol intulit Orbi.
Quæ virtus, & quanta Viro ſapientia, quamvis
Semper amor noſtræ per aperta pericula Gentis?
Lojolidum ſed Sancta tenent *Hunc* Caſtra, nec ullis
Flectitur a titulis, nec flecti poſſe putandum eſt.
Talia verſabat recolens, dubiuſque manebat.
Olli opportuna adfuit, exhibuitque videndam
Se Dea (2) Mnemoſyne, rerum fidiſſima Cuſtos
Lapſarum, vigilant cui centum lumina, totos
Circumplexa artus: antiqua volumina fœdo
Semiſepulta ſitu, rapidique e temporis ore
Eruta vi multa, latus ornant ordine longo;
Qualis Niliacæ cuſtos datus, Arge, puellæ
Centeno fueras inſignis lumine: donec
Inque ſuam mutavit avem te Regia Juno;
Proque oculis pictæ retulit ſpectacula caudæ.
Aut qualis gemino conſurgens vertice Janus
Idque, quod a tergo, ſimul aſpicit, idque, quod ante eſt.
Talem Mnemoſyne ſeſe obtulit: it comes illi
Juſtitia: hanc tacito ſequitur Prudentia paſſu.
Juſtitiæ armatur gladio manus altera; lances
Ex æquo pariles tenet altera; cæcaque velo
Deſuper impoſito facies nil aſpicit uſquam.
Eſt ſpeculo inſignis Prudentia, notaque ſerpens
Aſſidet, ingentes ſpiras per colla volutans.
Agnovit Cæſar velamina nota Dearum,
Quas inter comites ſolitus noctuque diuque
Conſilia, & rerum molem didiſſe: priorque

Dum cupit affari Divas; illum occupat ultro
Mnemoſyne, & roſeo prior ipſa hæc ore locuta eſt.
O Decus Europæ atque Aſiæ Timor, inclyta Divum
Cura. O Auſtriadum ſpes una & maxima Gentis,
Carole, Threjcio (3) repetens huc Victor ab hoſte
Quam bene feſtivos victori a milite plauſus
Reſpuis, & vigili verſas ſub pectore curam,
Quæ nunc Te coquit; inſomnem quæ ducere noctem
Te jubet; expendis (ni mens mihi læva) quibuſnam
Muneribus titulisque Virum Tua Caſtra ſecutum
Virtute eximium decores. Comes Alvarus hic eſt,
Aſſidue lateri uſus comes, Alvarus ille,
Centenis præclara micant cui nomina Flammis.
Hic Ille eſt, Cæſar, (tempus remeare peractum
Nunc juvet, Hic ille eſt, puerum quem maxima virtus
Excepit gremio; qua plurimus Aſtur arenis
Callaicis mixtum fodit aurum divite vena.
Heſperia in media (4) Regio eſt antiqua potenſque,
Magna armis, præclara viris, atque ubere glebæ
Felix, quam nunquam fœdavit barbara falſo
Maura ſuperſtitio cultu, rituve profano.
Hic Illum vidi Juvenem non arma tenentem,
Militiæve decus, majorum exempla ſecutum,
Optare, huic Mater quamvis, atque huic Pater adſit,
Qui ſtirpem antiquam generoſo a Sanguine Regum
Rite trahunt, ſerventque licet longa atria ceras
Tot proavum, titulisque micent ſua ſtemmata mille.
Unus hic è paucis, quos ſpectans æquus amavit
Juppiter, amoris confeſtim ſerta ludis
Quærere. Muſarum teneris & Sacra ſub annis
Excolere, & rerum ſcrutari abſcondita multo
Conatu, ingenioque pari, aſſiduoque labore

Cæpit

Digitized by Google

Cœpit, & occultas cunctatum diſcere cauſas.
Hinc Illum Uranie ſecum ad cæleſtia duxit
Sidera, nec tantum docuit, quali ardeat igne
Phæbus; quid terris portendant aſtra; quid omnes
Componat rerum formas; primordia Mundi
Quæ fuerint olim, quis erit vel denique finis?
Quidnam ſint rerum ſpecies, Simulacraque ab ipſis
Emiſſa; ut noſtros feriant ſemperque laceſſant
Senſus, multimoda ceu falſus imagine Proteus:
Perque fores veluti ingreſſæ, ludantque, meentque,
Ac remeent, animamque ipſa inter Somnia turbent.
Nec tantum docuit quæſiſſe indagine multa
Naturam ſemper fugientem; at maxima qualis
Spernit humum, ſolemque ſuum regina volucrum,
Obtutu ferit impavido, radiiſque coruſcum
Os contemplatur; tanta eſt in lumine virtus!
Sic Juvenis, Diva Uranie comitante, relictis
Terrarumque Polique viis, ſuper arduus aſtra
Evectus, Numen petiit: tum Numine in ipſo
Conſtitit, obtutuque Deum imperterritus hauſit.
Una ſit ut Ternæ, cecinit, Natura Figuræ,
Atque eadem Patriſque ſimul Natique & Amoris
Æterni; ut Vocum maneat diſcordia concors.
Principiumque Pater ſit Nati, Filius Illi
Æqualis licet exiterit, Parque omne per ævum:
Mutuus ut Patris, ac Nati Conſpectus Amorem
Producat, quamvis nuſquam ſit Spiritus Illis
Poſteriorve minorve loco, de Numine Numen
Cum ſit, & æquævum, Omnipotés, & in omnibus Unũ.
Hinc cecinit Patri qui vis Fœcunda Perennis
Adſit, quamquam Unum potuit progignere Natum,
Utque Indeficiens maneat Facundia, quamvis

Hæc eadem Verbo genuit non amplius Uno.
Ut Doleat Deus, inde cavit, Tranquillaque ſervet
Pectora: qui celeres ſubito accendatur in Iras,
Neſcius iraſci: vel qui moveatur, ubique
Terrarumque Mariſque Vias Cælique Meatus
Majeſtate replens: ut Terras Ipſe gubernet
Nullius auxilio; Tribus & ſine corpore tantam
Suſpendat molem Digitis, Par omnibus Unus.
ALVARUS hæc (5) penitas auſus penetrare latebras,
Arcanæque Dei (mirum!) penetralia Mentis
Veſtigare. Virum, ſua quod Myſteria velo
Nudaret, facili comitata eſt ſæpe querela
Relligio. Sed enim hæc tanto prope lumine donat,
Quanto Cæleſtes Animi, vincliſque ſoluti
Corporis, admiſſi Patriæ intra limina, cernunt.
Hæc Salmantino docuit Divina Lyceo,
Quo, Græcæ quondam, dudum migraſtis Athenæ:
Hæc ab Divini Doctoris pendulus ore
Excepitque, Tagum limo quicumque beatum
Aurifero bibit; & Sacros qui flumine magno
Guadianam, Duerumq; bibunt, & quiſquis Iberum;
Teque tot Heroum celebratum carmine Bætin;
Cantaber, & geminis veniens Balearibus; ingens
Celtiber; extremis & Gadibus uſque profecti.
Quin etiam, ferri nollent ut cuncta Minores;
Illaque nulla dies memori detergeret ævo,
Semper victuris hæc tradidit omnia chartis;
Sacravitque Tibi, Cæſar, quo Nomine munus
Inſcripſit, foret ut Decus Immortale, ſuique
Perpetuum ſimul & Monumentum & Pignus Amoris.
Nec tantum ingenio eſt Heros Divina ſecutus.
Aſt paribus ſtudiis coluit. Quam dias in illo

Pe-

Pectore ſervet amor! fallacibus illita fucis
Ut ſprevit! quamquam ad cælum rumore ſecundo
Maxima pars hominum, decepta cupidine falſo,
Hæc feret, abſque his nec quamquam putet eſſe beatũ.
Quæ pietas? quæ Priſca Fides? quæ candida morum
Integritas? ut Lojolidum ſua nomina Caſtris
A teneris dedit? ut ſanctas patronus, ad unguem,
Servavit Leges incorruptiſſimus omnes,
Virtutis Veræ Cuſtos rigiduſque ſatelles?
Illum etiam ea umbra Solii Regnator Iberi
Carolus (ingenti, Cæſar, quem nomine reddis)
In Solem traxit, curas partitus, & omnem
Regnorum molem ſecum; fruſtraque dolentem,
Multa reluctantem, media conſiſtere in aula
Juſſit, ut erecto dignoſceret ardua vultu;
Conſilioque Patres, & Regem mente juvaret.
Hunc Tu difficili mox tempore, Carole, ſumis
Aſſiduum lateri comitem, ſemperque fidelem,
Tractandaſque Illi toties committis habenas
Imperii, & Te etiam pateris moderetur ut ipſum.
Eſt Regio (6) Heſperiæ lateri conjuncta, renaſcens
Oceano Phœbus primo quam Sole vaporat,
Terra antiqua potens armis, nunc ſubdita Regis
Magnanimi imperio; Latium cui Lusia nomen
Inditum ab antiquis: noſtri dixere Minores
Gallorum Portum: Oceani cui plurima paret
Inſula; Fortunæ plenus quam rivus inaurat.
Hæc, latè imperium, ſuper & Garamantas, & Indos,
Protulit, ad Gangis ripas, cunabula ad uſque
Auroræ, ad terras latitantes, atque coruſcis
Solis inacceſſas radiis, ſine nomine terras.
Urbs hic conſurgit quondam patientis Ulyſſei
Egre-

Egregius Labor Auctoris de nomine dicta.
Et quæ quinque ſibi muro circumdedit arces:
Quæ gaudet Portu, properant quo mille carinæ,
Littore ab occiduo reduces, & Littore Eoo,
Portantes aurum, & peregrinæ munera gazæ.
ALVARUS hanc a Te miſſus Legatus in Urbem
Ter venit, magnis de rebus, Terque viciſſim
Hinc rediit, Pacis bellique negocia poſtquam
Compoſuit, Regiſque pii, ſimul & tua, Cæſar,
Succeſſu tanto, quantum nec tempora cuiquam,
Nec rerum Auguſtæ moles ſperare dediſſent.
Quid memorem extremos ut viſerit inde Britannos?
Eventuque pari, atque animo, ſibi tradita prorſus
Clauſerit? Ut veſtræ tandem modo redditus Aulæ,
Fulgeat, ut flammas inter nova Luna Minores?
Hæc Dea. Cui contra Cæſar perpauca reponit.
Non Virgo, nova Mi facies inopinave rerum
Surgit. Quin vigil hæc eadem mecum ipſe volutans
Angebar, Reperire Viro qui præmia tanto
Digna ſatis poſſem. Lauros non ille, ſequaces
Aut hederas, c pit, inſculpta ſub imagine duci;
Nec clarum titulis nomen tolerabit avitis,
Augeri, Aut curat peregrinæ munera gazæ;
Non regere Imperio Populos, Nec quidquid honorum
Egregie meritis donant pro munere Reges.
Cuncta quidem metuit. Dives virtute ſed una,
Hanc ſolam meritis vult reſpondere laborum.
Olli ſubridens Prudentia, Deſine, dixit,
Ulterius curis animum vexare, Mihique
Præmia digna Viro detur decernere pondus.
Mecum erit iſte labor. Tu tantum, Maxime Cæſar,
Purpureos inter Patres, Sanctumque Senatum

Pa-

Paſtoris ſummi, numeretur ut ALVARUS, opta.
Hoc pete pro meritis. Et nuncius ocyor aura
Ad ſeptem-geminas jubeas hinc advolet Arces,
Hoc Tibi qui munus Magno a Clemente repoſcat.
Cæſar ad hæc. Tu digna quidem Virtute ſuprema
Præmia, Diva, mones: Sed qui flectetur, ut illa
Accipiat; Sacroque Caput fulgere Galero
Suſtineat? Si tanta viro laturiſe cupido eſt. (res
Huic Themis-Haud mirũ. Namq; Heros omnis hono-
Contempſit meritos, eſt dedignatus avitos.
Aſt honor, umbra velut fugienti e corpore miſſa,
Perſequitur fugientem ultro, fugit ipſe ſequentem.
Imperio cogat Paſtor Romanus. Onus jam
Impoſitum capiet; Nec detrectabit honorem.
Annuit his Cæſar dictis. Vixque alta Viennæ
Mœnia, & Auguſtæ vix limina contigit Aulæ,
Tantaque feſtivo excepta eſt Victoria plauſu;
Jam ſuperum ſactis parta pro pace peractis:
Continuo adſeſe claris genitoribus Hermin
Ex Aura & curſu genitum, qui præpete mannos
Antevolet curſu, & ventos qui vincat avitos,
Advocat. Huic Summi Paſtoris protinus Aulam
Imperator, accedat Breviterque affatur euntem.
Vade, age, & ut Portas Romanæ intraveris Urbis,
Et pro me Summo libaveris oſcula Patri,
Hæc illi referes. Felicia Cæſaris Arma,
Magne Pater, Thracas late fudere. Cruentos
Thracia jam vultus oſtentat Luna: rebellem
Pannoniam Cæſar veſtro nunc ſubdit Ovili.
Quod dignum tantis meritis pro munere poſcit;
Unum orat. Simul ipſe novis augere Senatum
Conſtitues Patribus; Decus his velis addere magnum

Lo.

Lojolidum de Gente Virum, cui Maxima Virtùs,
Cui Pietas, cui cana Fides, Sapientia, mentem
Conſilio excelſam exornant, Comes Alvarus hic eſt,
Cæſareo lateri fidus Comes: Alvarus ille,
Cui Centum, cui mille Ignes dant nomina; cujus
Clareſcit Decus Heſperiis, clareſcit Eois
Littoribus, quacumque diem ſol intulit Orbi.
Legibus hic propriis tali prohibetur honore.
Tu tamen imperio Meritum Pater Optime, coges.
Cæſaris hoc votum eſt. Hoc alta mente repoſtum.
Nec mora præcipiti curſu fert Nuncius Hermes
Auguſti mandata. Novas cui litera voces
Sufficit, & miſſi Romanam nuper in Aulam
Centum Oratores eadem omnes dona precantur.
Maximus at Clemens, arcano multa volutans
Pectore, multa movens, tandem hæc reſponſa repoſuit,
Haud ignota mihi Auguſti ſunt maxima facta.
Threicias illum ferro fudiſſe phalangas.
Tot fortes Urbes Fidei ſub ſigna receptas:
Et quæcumque pio Cæſar conamine movit:
Quæ fortunavit ſuperum Pater atque Hominum Rex
Auſpicio Auxilioque ſuo, & felicibus auſis.
Sed quì pro meritis Sacro decorare Galero
Invitum potero? Si detrectavit honorem
Alvarus hunc toties, gentibus minor, & prece ſupplex?
Olli ingens animus, virtus cui ſufficit una,
Quem laviſſe juvat; cui non mortalia curæ
Præmia, cæleſtis ſed tantum meta laborum eſt.
Adde, quod egregium Sociorum fulget in Oſtro
Par mihi; Sancitum quamvis hoc legibus olim
Lojolidum præclara Cohors, & jura vetarent.
Solvimus has, licet ingenti cum fœnore, Leges,

Dum

Dum Ptolemaicum (7) Caput inſignivimus Oſtro
Nuper, & addidimus conſortē in honore (8) Salernū,
Dotibus Egregiis Ambos, Virtutibus Ambos
Conſpicuos, Sediſque Petri coram hoſtibus Ambos
Et certare Pares, & reſpondere paratos.
Bis tamen eſt ſolviſſe ſatis. Nec plura locutus
Auguſto hæc eadem Clemens reſponſa remittit.
Cæſareæ ſed fixa manet ſententia Menti,
Obtentu & nullo, precibus neque flectitur ullis.
Clemens interea, nocturna dum prece Numen
In ſua Vota vocat, Cælum lacrymiſque fatigat,
Et Petri Navim ſævis Aquilonibus actam,
Una Euris Cauriſque ruentibus impete multo,
Commendat Superum curæ, Syrteſque latentes
Ut caveat, Scopulos, Orat, devitet acutos
Ipſe regens Clavum, cæleſti luce coruſcans
Religio affulſit, qualis poſt nubila cerni
Mille (9) ſolet variis diſtincta coloribus Iris.
Protinus & dubiæ tulit hæc ſolatia menti.
Magne Pater, totum ſanctis qui legibus Orbem,
Imperioque regis, noſtrum, quem poſcit, Alumnum
Cæſar, ne timeas ſacro decorare Galero,
Et Patres inter ſummi accenſere Senatus.
Hic Vir, Hic eſt, Clemens, cui noſtri maxima cura eſt,
Conſilioque meos fines qui protulit, uſque
Threiciæ ad latebras inimicaque cornua Lunæ.
O Tibi qualis erit, rebus quantuſque gerendis!
Ut trepidis animum, dubiis dabit Ipſe levamen!
Teque, Tuamq; Ratem auxilio quantum Ipſe juvabit!
Ergo age, quod moneo, mihi jam, Pater Optime, præſta.
Sum Pia Religio, Veſtræ Decus omne Tiaræ:
Proque Viri meritis in Me, adnumerarier opto

I Il-

Illum Purpureis Patribus. Tu Vota ſecundes.
His ſubito dictis Pater Optimus annuit ultro,
Teque tot evectum meritis, fruſtraque dolentem,
Multa reluctantem, Romano veſtit Oſtro,
Alvare. Quis plauſus, feſtivaque gaudia dicat
Totius Europæ? rata, Cæſar Maxime, Vota
Longa vides, Tecumque omnis Germania gaudet,
Hoſpitium Herois tanti. Tu Patria Cive
Heſperia eximio exultas: aſt Itala Tellus
Romanam breviter venturum ſperat in oram,
Aſpectura palam, quem dudum fama celebrat.
Nec tantum Populi plauſus voceſque ſequuntur
Magnanimum Nomen: verum ipſi ad ſidera jactant
Pyrenes (10) juga celſa, & nubifer Apenninus,
Alvare, Teque vocant, ſimul & Tua Facta propagant.
Najades ipſæ etiam pelagi quacumque per undas
Incedunt, Tibi rite novos gratantur Honores.
Audiit hæc Siculo (11) Polyphemus ab uſq; Pachyno.
Audierunt rauci ſtrepitantia ſaxa Pelori.
Excepere Tuum Nomen Trinacria longe
Litora, queis veluti mens ſit divina futuri,
Lætitiæ manifeſta ſuæ Tibi ſigna dedere,
Paſtoremque ſuum læta Te voce ſalutant.
Undantes flammas non illis Aetna diebus
Evomuit; tutas immani a vortice naves,
Nautis infeſtum nomen, miſitque Charybdis.
Scylla, quibus fœdum ventrem eſt ſuccincta, latratu
Conticuere Canes, nec Doris amara Sicanis
Fluctibus, o Arethuſa, tuas immiſcuit undas.
Sis bonus o felixque tuis; nec deſpice noſtram
Nunc Tibi plaudentem, quamvis ſit ruſtica, Muſam.
Aſt circum caput has hederas, ſine, ſerpere, Vatum,
Victrices ornant ſacra dum Tibi tempora lauri.

VII.

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU
EPISTOLA VII. TIBURTINA
AD
P. JO. BAPTISTAM SPINULAM.
EX EADEM SOCIETATE
ROMANÆ PROVINCIÆ
PRÆPOSITUM

ANNO SALUTIS CIƆIƆCCXVII.

Ex Perſona juvenis Præceptorio Muneri initiandi.

Prodiit Liburni Anno eodem.

P. JO. BAPTISTÆ SPINULÆ PROVINCIALI PRÆPOSITO SUO

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS S. P. D.

QUAMVIS arbitriis parere quibuſque coactus
Eſſe ſatis norim, nec detrectare ſupremis
Impoſitum juſſis munus fas mi eſſe docendi,
Seu vacuis Ulubris, plena ſive ipſe Suburra
Juſsetis impubes ferula terrere minaci;
Pauca tamen permitte mihi de ſorte Locorum
Dicere, queis Romana dedit Provincia nomen;
Imperiis quando illa Tuis nutuque reguntur
Tam Sancte, Magnumque vocant Te jure Parentem.
Si mihi ſors igitur, vultu blandite ſereno,
Ut legerem Ludi ſedem concedere velles;
Quæ mihi præ reliquis ſit viſa beatior oris:
Non ego Romanis me præcepiſſe Palæſtris
Continuo peterem, jubeas; licet omnibus illæ
Majeſtate locis præſint, me nominis umbra
Non trahit, at Romæ fumum ſtrepituſque cavere
Jamdudum didici: ſuberunt nam plurima Romæ

Quæ

Quæ nomen penſent incommoda. Quis puerorum
Pluſquam centenam ſanus ſibi poſcere turbam
Formandam poſcat? Romani & jura Lycei
Externis mage dura quibuslibet opter inire?
Quis gravius cælum, ſiccat dum Sirius agros,
Quis tot concluſas animas, ceu carcere in uno,
Immenſumque ferar, velut in fornace, calorem?
Adde, quod e Ludi vix exis limine, cum jam
Inter diſcipulos numeraris; legibus iſdem
Obſtrictus, pueris modo tu quas ipſe ferebas;
Romanis etiam Ludis eſt longior annus:
Dumque datur reliquis, ſtudiorum poſſe ſolutis
Fœnore, per campos & prata impune vagari;
Romanis non prata virent non rura Magiſtris;
Infeſto ſed nola ſono pulſata cathedras
Aſcendiſſe jubet totis Septembribus horis.
Quin etiam Octobres (miſerum!) ut venere Calendæ,
Haud ceſſat, tardas ultra contendere Nonas.
Abſit Roma igitur, quæ ſit digniſſimus alter.
Proxima Romanis Senenſis jura Paleſtræ
Poſcere forte putas cautum me, ſed neque Senis
Cur vellem Pueris Præceptor dicier, audi.
Urbs eſt docta ſatis, nimiumque oppleta ſeveris
Judicibus. Quemvis ex imo excerpe popello:
Fiet Ariſtarchus. Terret velut Æacus umbras,
Me terret Judex audax. Nunc debile culpat
Exſuccumque Epigramma: Elegis modo figere tetra
Vult nigrum: carpit ceu dura Poemata, quidquid
Illudam chartis ſemper mordere paratus.
Adde quod haud magni Lingua ſatis eſſe Latina
Excultum, pendit, ni Tuſca Epigrammata paſſim
Evulgem; ancillis quæ etiam garrire ſuetum eſt.

Pulchra magis placidos ſervat Florentia Cives
Cenſores; Coſmi (1) dum publica munia curant.
Sed mala Romani redeunt hic multa Lycei.
Primores inter Patres, ubi quid datur oti,
Cum ſedeas, pueros inter numeraberis: illis
Attentas tacitus dabis aures. Dicere ſi quid
In mentem ſubeat male cauto, perſtrepit omnis
Annoſus, ſocio de te diſcente, Senatus.
Præterea nunquam primas aſcendere ſedes
Parnaſſi poſſis, magna ni inſigne corona
Et raſum caput oſtendas, ut Rhetora fingas.
Jam Peruſina foret poſt has poſcenda Palæſtra;
Namque ſedet ſociis Ludiſque ſuprema duobus.
Arma tamen Populi ingenium, rixaſque fovere,
Neglectis, gaudet, ſtudiis. plerumque Magiſtris
Deſuerunt, quos inſtruerent, dictare paratis.
Atque aliquis totum conſumpſit inutilis annum,
Dum vacuus, nunquam ternos, expectat alumnos.
Ultima Piceni reſtaret gloria Firmi,
Sectater magnas ſi captus honore Palæſtras.
Hic ingens numerus, numeroque eſt grandior ætas,
Et præceptori par ſæpe, ac major, alumnus.
Rure ſuburbano Picentum ac plurima Turba,
Viciniſque venit de Montibus, omnia motu
Complentura, modis patrias teſtantibus ulmos.
Ergo abſint magni tanto cum ſoenore Ludi.
Da ſociis, Divina quibus, Pater Optime, mens eſt,
Magna ſonaturis, riſit queis dexter Apollo.
Nos viles animas cuicumque addicere Ludo
Poſſis impoſitum munus punduſque feremus
Æque non, dorſo piger ut detrectat aſellus
Ferre onus, auriculas mente & demittit iniqua.

Si

Si neque me proprium poſcit Macerata Magiſtrum
Nobilis-a Legum ſtudiis; Ancona vetuſto et
Reiicit a portu, cur ſancti culmina Montis
Scandere non poſſim? cur non pueros Recineti
Biſsenos (ſummum) ſolita non imbuo crambe?
Lauretana Domus præ cunctis Urbibus una
Jam dudum ſedit mihi, multus Dalmata, braccis,
Quo poſitis, venit, innumeris ubi Cellula ſemper
Hoſpitibus divina calet, votiſque ſolutis.
Quis mihi det tali cineres componere ſede,
Qua Humanos primum ſummo delapſus Olympo
Virgineum in gremium (Superi!) Deus induitartus!
Eſt quoque Fortunæ præclarum nomine Fanum
Plebe carens, Latias poſſim quo ducere turmas.
Eſt Faber (2) ad Janum celebris de nomine ſedes.
Aſculum in extremo Regionis margine noſtræ,
Et longe latitans ne me unquam exaudiat, oro,
Aleera (3) Picenis (ſcimus) Florentia dictum eſt.
Incolat aſt alius præ me quicumque Colonus.
Umbria reſtaret; Spoletum ſcilicet, inter
Urbs amneſque (4) jacens, nobis cognomine *Terni:*
Nec procul a Tibri ſedet Urbs antiqua Tiphernum, (5)
Mittere ſi cupias quo me, non ire recuſo.
Quin etiam Tuſco tellus cultiſſima Cælo,
Monte (6) ſuper, Grati cui jam fecere *Politum*
Nomen, nec vetus Urbs, male nec fundata Viterbj,
Inque caput ruitura (7) Domus, ni Borgia fulcit,
Prætereunda mihi, Piſtoris (8) ſed neque ſedes,
Qua Catilina nefas ſcelerata morte luiſſe
Dicitur, Exculti & flores Pratenſibus (9) Hortis.
Et quod ſuppoſitis Arretion imminet agris.
Sed mage Thyrrenum quæ ſeſe extendit in æquor,
Aſſi-

Aſſiduo cujus fervent & compita motu,
Cujus & innumeræ veniunt ad littora puppes,
Quæque peregrinis prægnanti mercibus alvo,
Occidui Portus Populis & Portus Eois,
Italiæ Libyam longe ſpectantis ocellus,
Atque eadem Promus, Coſmi Decus, Ora Liburni;
Apta parum Muſis, quamvis, Atlantide (10) Maja
Quod prohibet Natus, fuerit me culta Magiſtro:
Sunt etiam invalidis adeundæ Tiburis umbræ,
Et magis apta ægris, quam Muſis Tuſcula Tempe.
Quod ſi forte roges, humiles cur poſcere ſedes:
Mens mihi, quæ ex Flacco duxi præcepta reponam
Quod plus pacis habent opibus ſtrepituſque remotæ,
Et fumi & rixæ multo minus invidiæque.
Cur malim Romæ, quam Soræ vivere, mecum
Si memet porto ſemper quocumque migrandum eſt?
Cur timeam Adriaci ſejunctum tramite Ponti
Inter Dalmaticos Epidaurum (11) viſere fines?
Si mihi ſum compos, & aperto vivere voto
Non vereor; Cælum ſi pro mercede paciſcor.
Copia librorum ſi non deeſt, ſi comes unus
Semper & alter adeſt quocum loquar; iſque viciſſim
Arcani nobis qui pectoris intima pandat.
Pendula Pontinos quæ ſpectat Setia Campos,
Apta ſatis; noſtrum & metuenda Biturgia nulli eſt.
Vivere non renuam, Sancto condique Sepulchro.
Hæc Juvenis, primo cur ſit calcanda cathedra.
Aſt ego vela trahens certo ſub fine laborum,
Qui Senas uno, qui Tuſcula Rura duobus,
Atque annis totidem vos, præſens Turba Liburni,
Edocui, ſolvi per Te, Pater Optime, poſco.
Nec dubitem culti Tibi vota exponere Flacci.

Spectatum ſatis, & donandum, ne, rude quære,
„ O Pater, antiquo rurſum me includere Ludo.
„ Non eadem eſt ætas, non mens. Vejanius, armis
„ Herculis ad poſtem fixis, latet abditus agro,
„ Ne populum extrema toties exoret arena.
„ Solve ſeneſcentem mature ſanus equum, ne
„ Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.
„ Nunc itaq; & verſus & cætera ludicra ponã, (ſum.
„ Quid verũ (12) atq; decens curo & rogo & omnis in hoc
„ Condo & compono quæ mox depromere poſſim.

VIII.

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU

EPISTOLA . VIII . TIBURTINA
AD

JOANNEM ANTONIUM VULPIUM

FRATREM

Philoſophiæ olim, nunc Græcæ & Latinæ Eloquentiæ

IN GYMNASIO PATAVINO

DOCTOREM EGREGIUM.

Edita eſt Patavii Typis Joſephi Comini ad calcem Editionis ſecundæ Carminum Joannis Antonii Vulpii Ann. 1742. in 8.

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS
SOCIETATIS JESU
JOANNI ANTONIO
V U L P I O
FRATRI SIBI DILECTISSIMO.

URBIS amatores Fratrem ſalvere jubemus,
Qui Magnæ nunquam tactus dulcedine Romæ
Huc viſus flexiſſe gradus: hoc ſcilicet unum,
Cetera concordes animis, diſconvenit inter
Meque & Te, Antoni Carissime. Namque Juventæ
Tempora ſub primæ, Patriæ nos liquimus arva,
Natalis nos tecta Domus, caroſque Parentes,
Ut Septem-Dominos poſſemus viſere Montes.
Excepit nos Roma ſinu, pergitque fovere
Luſtra decem, condetque, puto, nos Roma ſepulchro.
At Tu lentus abes. Patavi contentus & ora,
Romanæ coram nunquam miracula Terræ
Cernere ſecurus voluiſti. A Gadibus illa
Extremis quamquam reliqui, cunabula ad uſque &
Auroræ exorti, properent inviſere; poſtquam
Omnes in Terras vecti, maria omnia circum,
Luſtrarint, Oriens quidquid Sol aſpicit uſquam,
Et quidquid Moriens, diverſa voce, ſed una,
Nil oriturum alibi, nil ortum tale fatentes.
Eſſe quid hoc dicam? cum Tu tamen Itala ſæpe
Seu Venetum ſive Inſubriæ loca plurima viſas,

Quod

Quod tantum Roma abſtineas? ceu (1) triſte bidental
Hic fueris; Tabulisve (2) Trium Te triſte Virorum
Perſcriptum exilium a ſola procul arceat Urbe.
At Veterum judex ſubtilis callida ſemper
Feciſti arbitria, occultam tetigiſti & acu rem
Quamlibet, & Sophiæ quondam penetralia tentans,
Eloquio & præſes Latiis Graiſque Camœnis,
Ingenium nec pingue Tibi nec turpiter hirtum eſt.
Seu circumfuſi moderaris fræna Lycei
Docta voce tonans; ſeu condis amabile carmen;
Sive Oratores, ſive illuſtrare Poetas
Aggrederis, quos luce nova, quos fronte venuſta
Ornatos poliat nobis bona cura Cominі;
Præmia Victricis palmæ Tu prima tuliſti.
Naſcenti puero nimirum dexter Apollo
Riſit; & in gremio Muſarum exceptus, ab illis
Diſceſti nunquam: tum vix ineunte juventa es
Auſus Priſcorum clarare Poemata Vatum (3)
Docta Trium. Sed magna ſuum Veronæ Catullum,
Dum Tibi commendat; curis en iſte ſecundis
Auctus in immenſum Tua commentaria laudat.
Carmina divini per Te producta Lucreij, (4)
Oſtenſumque cavere venena nimis lita dulci
Melle, Severini meliuſque recuſa Boethij
Dat præcepta ſuis quotquot ſapientia alumnis.
Quid Plautos memorem, excuſos totieſque Nepotes,
Fraternis auctos curis, (5) Celſoſque, Maroneſque,
Atque alios Veterum atque alios, veſtra auſpice Muſa?
Naugerj, & Valerj, Synceri, Flaminijque,
Fraſtorj bis, quæ teniant Æneida, Vidæ
Aurea Scripta Tibi vulgata. Poemata Tuſcis
Principibus revocata, novo & ſudata labore.

Tu

Tu Dantis triplicem ſcænam; Tu culta Petrarchæ
Carmina, cumque Apibus ſocius Tu Rura Alamanni;
Tu Taſſos, Davanzaros; ...... Sed cura dieſque
Deſtituiſſe prius potis eſt me, dicere cunctos
Quam veſtros poſſim, Docte o Germane, labores:
Quos numerare velit ſi quis, prius ipſe requiret
Quot flores populentur apes, quot in æquore fluctus
Ionio ſurgens tempeſtas miſceat Euro.
Cum Cajetano, (6) veluti cum Caſtore Pollux,
Dividis & curas, alterno & lumine fulges;
Sæpius at juncto. Cordi eſt huic multa Piorum
Edere ſcripta, quibus mores, & ſancta juvetur
Religio, quibus a puero formentur alumni
Cæleſtis pietatis, opes & temnere diſcant,
Et quidquid blando fallax gerit ore voluptas.
Nec vos præteriit Priſci quoque eudere noſtra
Quæ Latii dedimus vulganda Volumina Vobis. (7)
Attamen a Lario ſemper Veterique Novoque
Abſtinuere pedes, nec vos tam digna cupido
Inceſſit quondam, ut velletis noſcere coram
Tot laudata viris, tantæ & miracula famæ.
Quid Romæ faciam? (tamen inquis) *non mihi curæ*
Aulai in medio magnos inquirere honores,
Fumum & opes. Miſerum non me juvat eſſe clientem,
Nunc Vaticani, nunc currere Colle Quirini
Mane ſalutatum, ne quis quæat ante, Patronum.
Non agimur tumidis Velis, Aquilone Secundo;
Nec tamen adverſis vitam traducimus auſtris.
Mi ſat opum mea Muſa dedit, mi ſat quoque honorum.
Quid quæris? ſolemque meum, mea ſidera novi.
His lætus careo quæ Vos rumore ſecundo
In cælum effertis. Fallentis ſemita Vitæ

Mu-

Muſarumque chori, quæ olim puero (8) placuere,
Hæc placuere Viro, ſunt hæc placitura Seneſtæ.
Privatæque domus pergam vixiſſe receſſu
Rides enim hic nobis, reliquos ſuper, angulus, omnes.
Novi equidem, nec falſa canis; veriſſima narras.
Aſt neque Romuleæ ſuademus ut incola Terræ,
Aut Aulæ fias, nam multum diſcrepat iſtis
Conſiliis mea mens. Velut attamen hoſpes ad Urbem
Accedas, moneo, brevis, iſtuc mox reditu⁹us,
Præmia multa viæ laturus. Laudat Homerus
Quem tandem? niſi qui patria procul Urbe rela,
Diverſos viſit Populos, cognovit & Urbes
Permultas coram, præſtare quod unica Roma
Poſſit, Terrarum totus quo convenit Orbis.
Ne ceſſes igitur, nec TE Moſchina(9) moretur,
Temporibus dubiis fidiſſima, Penelopeæ
Exemplum fidei, digniſſima conjuge conjux.
Nec TIBI Morgagno(10), nec ſit caruiſſe Poleno,
Gratianove grave ad tempus breve, Burdegato,
Aut Aldrighetto, Doctis reliquis & amicis,
Muſarum cura, quorum iſthic copia tanta,
Quique Antenoreæ ſunt maxima Gloria Terræ.
Tantillum BIPATENS(11) ANIMIS ſi linquis ASYLUM;
PARRHASIUM NEMUS excipiet. Paſtoria pellis
TE teget ARCADIÆ. Tua TE GRINEJA Rura
ULIPI, expectant, Collegæ atque ARCADES omnes.
Sed propera: nec TE venturos differ in annos:
Evolvit nam Parca colos, & tarda ſeneſtus
Irrepit ſenſim, his curis minus apta, Viæque.
Urbe tot egreſſi Paravina reviſimus arva
Denique ſi vobis, indignum, nec ſemel Urbem
Vos adiiſſe, relaturos utcumque pati par.

JO-

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU
EPISTOLARUM TUBURTINARUM
LIBER SECUNDUS

Elegiacis deſcriptas continens.

❀ I ❀

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU
EPISTOLA · I · TIBURTINA
AD NOBILISSIMUM ET LITTERATISSIMUM
CŒTUM
ACADEMIÆ PATAVINÆ VULGO DICTÆ
DE' RICOVRATI
INVENTO VENERABILIS
GREGORII BARBADICI
S. R. E.
CARDINALIS ANTISTITIS PATAVINI

Integro atque Incorrupto poſt Sepulchri Annos ferme triginta Corpori plaudentem

ANNO CIƆIƆCCXXV.

Edita eſt in Libro, cui titulus *Componimenti &c. dell' Accademia de Ricovrati, per la Traslazione del Corpo del Ven. Card.* Gregorio Barbarigo *&c.* Patavii Apud Cominum 1726. in folio magnificentiſſimo.

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS
SOCIETATIS JESU
ACADEMICUS R.
AD COLLEGARUM CŒTUM
DE VEN.
GREGORIO BARBADICO CARDINALI.

EUGANEI Colles (1), lectiſſima cura Dianæ,
Vite ſata Bacchum quos coluiſſe ferunt:
Et quos, Pæonias vincens placidiſſimus artes,
Sulphureis morbo ſolvit aquis Aponus:
Quæque Antenoreos felicia cingitis arva
Muros, Pergameæ quos poſuere manus:
Tuque adeo duplex, qui pinguia culta pererras,
Medoace o, ruptis fertilis aggeribus,
Dii patriæ tutela meæ, feſtos date plauſus,
Signaque lætitiæ, quæ pote quiſque, date.
Plaudite: lux oritur, qua non felicior anno
Exurgat toto, nullaque candidior;
Qua tumulata diu GREGORJ datur ora tueri.
O Paſtor, Pater o, num redivivus ades?
Qualem ego TE (2) aſpicio luſtris vel quinq; peractis?
Dilapſa in cineres dum Tua membra reor.
Nam quid non potuit longa immutare vetuſtas?
Hæc ferrum, hæc cautes duraque ſaxa domat.
Marmora dum Tumuli, quo conderis, ipſa teruntur;
Mar-

Dum teritur, funus quæ tegit Urna Tuum;
Dumque recens Veſtes quæ contexere Cadaver
Eſt ſitus, & longi temporis inſidiæ,
Iſta decens facies nullo vitiatur ab ævo,
Ipſæ nec minimum deperiere comæ;
Non frons, non oculi fœdantur, peſve, manuſve;
Nullæ tam Sancto e Corpore reliquiæ.
Quin, ſi contrectere, imitaris corpora viva,
Continuo repetunt preſſaque membra locum.
Humida nil nocuere cavati aut antra Sepulchri,
Aut Tempus, quamvis omnia dente vorer.
Quid supereſt, Grex iſte Tuus Tent vivere credat?
Tantum ut eunctorum Vox Tua in aure ſonet.
Sancte ſenex, Paſtorque idem, cui maxima quondam
Cura Gregis, fauſta dic bona verba die.
Ut Byzantinæ Sede Chryſoſtomos (3) olim
(Feminea pulſus nequitia fuerat)
Redditus, & toto circum plaudente Senatu
(Supremam dudum duxerat ille animam)
Mortua (mirandum!) redivivus ut, ora reſolvit;
Et cunctos Pacem juſſit habere ſuam.
Tu quoque nunc, Gregori, Populo Te voce precanti,
Ut Byzantinus, dic bona verba, Pater.
Æquo num petimus majora? quid o minus illo
De Te fama feret, ſeraque Poſteritas?
Te quoque Virtutum ambivit chorus omnis, & alto
Sublimem è terris conſtituere Polo.
Te Pietas, Te Sancta Fides, Te candida morum
Integritas, Gregis & maxima Cura Tui.
O quoties Tecum infidos tranavimus amnes,
Dum facis impavidus per vada Primus iter!
O quoties teneras Tecum depavimus herbas,

His

His certi campis nulla aconita legi?
Gramina monſtrabas nocuos celantia ſuccos,
Ne morſu temere deciperentur Oves.
Præ, Pater, Ipſe ibas, ſive horrida teſqua ferarum
Luſtrares, ſummis ſive cacuminibus
Aerias Alpes, (4) vaſti dum viſis Ovilis
Illam etiam partem, Saxa per & ſcopulos.
Frigora nec Brumæ Tibi, nec momenta Leonis
Fecerunt ullam, quin graderere, Moram.
Felices quæ Te rupes videre loquentem,
Quæque Tibi gratos ſaxa dedere toros.
Felix quæ pavit pomis ſilveſtribus arbor,
Felix quæ fontis Te recreavit aqua.
Vos quoque felices tanto Paſtore Bidentes,
A quibus eſt rabidi tam procul ira lupi.
Nam quamvis Gregorj liquit vos patria cura,
Quem tulerunt Hadriæ ſidera litoribus,
At, Barbadicæ ſoboles nunc altera Gentis
Inclyta Franciscus(5) vos fovet uſque ſinu.
Magnanimo & Patrui relegens Veſtigia greſſu,
Illius amiſſi tollit amaritiem.
Cujus ad exuvias ſi nobile Mauſoleum
Præparat, aſt mores Ipſe refert animo.
Jam vos formoſæ, facies queis cura, puellæ,
Nativus quibus & creſcit ab arte decor,
Quid juvat ornato crines componere cirro,
Fucatas quid conquirere munditias?
Heſperios ſuccos, ſuccos quid quærere Eoos,
Quos vendit mundis inſtitor in tunicis?
Et vino atque Epulis & ſomno membra levare,
Ut bene curetur, ut niteatque cutis?
Quid? ſi mortali nulla eſt medicina figuræ,
Nec

Nec poſſunt propriis membra nitere bonis?
Quid? ſi quæque dies formam rapit, inque ſeniles
 Paullatim rugas improba trahit?
Quas ſi qua effugies, juvenis condere Sepulchro,
 Et tanges ſubito limina Perſephones;
Quæ poſtquam inferni guſtavit mala tyranni,
 Non ultra ad patrium eſt viſa redire larem.
Tunc etenim vanis dicere exercita curis,
 Et fruſtra crines excoluiſſe tuos.
Nam quamvis Helena vivens formoſior eſſes,
 Deterior fies horridiorque Hecuba.
Non oculis nigror ille placens, non purpura malis
 Perſtabit, collo haud lacteus iſte color.
Diſce novas artes, quibus & poſt fata ſuperſtes,
 Conditaque in tumulo forma perennis erit:
Quam nec longa dies umquam, nec ſæcula perdent,
 Annorum aut ſeries innumerabilium.
Virtutem cole cum primis: Virtutis honos eſt
 Primus in ingenua mente pudicitia.
Præſidio huic, caſtum ſervent jejunia pectus,
 Et Cilicum Veſtes, durus humique ſopor.
Artibus his Gregorj ſervatum, cerne, Cadaver
 Halat ut Heſperides, halat ut Elyſium.
Artibus his puros ſervavit Magdala flores,
 Magdala, formoſam quam, Pater Arne, fovet.
Artibus his Catharina evaſit Temporis ora,
 Felſina, quam muris cingis, amica, tuis.
Et quæ ſparſa ſuper nequierunt balſama fruſtra,
 Et quæcumque legit munera mollis Arabs,
Corpora ſervavit Virtus. Huic tempora cedunt:
 Non potè damnoſa hanc imminuiſſe dies.
At majora vocant miracula, ſi tamen ægris

Gre-

Gregorii e Tumulo parta ſalus redit:
Illius imperio redeunt ſi in corpora vires,
Reddere quas medicæ non valuere manus.
Unde omnis pridem, Gregori, Te Roma Beatum
Dicimus. At votis annue, Sancte Parens,
Sancte Parens, cujus nutu reſeratur Olympus,
Clauduntur Stygii cui vada cæca lacus.
Admoveas Aris Paſtorem Antenoris Urbis,
Qui fulſit Veneris nobile Sidus aquis.
Conſtituas feſtamque diem, qua publica honores
Vota ferant meritos, fumet & Ara frequens.
O mihi ſera meæ ſit vel pars ultima vitæ,
Cernere qua poſſim tam pia vota rata!
Tunc licet ipſe ſenex, ſparſus licet undique canis,
Arcadas ad cantus extimulaſſe ferar:
Arcadas incertis (6) errantes hactenus agris,
Nunc tandem certis Sedibus impoſitos.
Primus Aristæus (7) merito dicetur honore
Hos inter, Cœtus gloria prima ſui.
Euganeo his cantu Vos & certabitis Antro,
O Antenorei Gloria magna ſoli.
Et ſanctum referent intonſi ad ſidera Montes
Finibus Eois nomen in Heſperios.

II

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU
EPISTOLA . II . TIBURTINA
A D
JOAN. ALOYSIUM
MOCENICUM
VENETUM SENATOREM AMPLISSIMUM
Cum Ex Romana Pontificia Legatione
ÆDIS D. MARCI
PROCURATOR MERITISSIMUS
INGREDERETUR
ANNO SALUTIS CIↃIↃCCXXXVII.

Edita eſt Venetiis in Libro, cui titulus · *Raccolta di Componimenti Poetici Dedicata a Sua Eccellenza il Signor Cavaliere* LUIGI GIOVANNI MOCENIGO, *&c. da D. Pier-Franceſco Zaghis Abate e Procuratore Generale de Monaci Camaldoleſi* Urbani in 4. eodem anno.

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS
SOCIETATIS JESU

JOANNI ALOYSIO MOCENICO

NOVO
ÆDIS D. MARCI PROCURATORI.

FALLIMUR? (1) & ſomni præſecto Porta Elephanto
  Candens, nos vanis ludit imaginibus?
An, facilis veris qua redditur exitus umbris,
  Cornea, de Venetis gaudia portat aquis?
Nox ruit, & ſtellis properans Aurora fugatis,
  Unius occurſu eſt pallida Luciferi:
Dulcior at ſolito quiſnam ſopor irrigat artus?
  Occupat obtutus quæ nova ſcena meos?
Jam liber Exquiliis valedicere. Jam Tiberina
  Oſtia, Tyrrhenum jam ſubit pelagus
Noſtra ratis, geminoque Duces cum Caſtore Pollux,
  Ut vocalem Argon, flatibus, ecce ferunt.
Jam Latium, jam Campani, Calabrique recedunt.
  Jam volat & Siculum præter, & Ionium.
Hadriaco ſumus inque Sinu. Regina coruſcum,
  Quo regit Urbs fluctus, erigit, ecce caput.
Salve Magna Parens Heroum, altæ Æmula Romæ,
  Duratura magis, dic, MOCENICUS ubi eſt?
Hæret enim, ante oculos veluti præſentis Imago
  Magna Viri, immemorem nec ſinit eſſe ſui.
Ecquid adhuc Merito ſplendet circumdatus Oſtro?
  Ecquid adhuc Meritis emicat in Titulis?

Sic

Sic ſtabile æternum TIBI ſit, quod ſubditur æquor;
  Odryſia uſque minor ſic TIBI Luna cadat.
Sic Cypros, & Crete, & Chalcis, Pelopeiaque Tellus,
  Græcia tota TUUM ſentiat Imperium.
Tracibus & domitis, Aſiam, Helleſpontiaque arua
  Sola regas Felix. Dic MOCENICUS ubi eſt?
Hæc ego. Diva mihi mox hæc audita referre,
  Nectare & ambroſia ſuave locuta magis.
Opportunus ades: Lætus nam Lucifer inſtat,
  Quo TUUS hic Tyrio in murice præniteat.
Præmia magna quidem, ſed præmia debita dudum
  Virtuti eximiæ promeritiſque, damus.
Quid loquar, a primis, hujus Sectator, ut annis,
  Vicerit Antiquæ exempla vetuſta Domus?
Magnanimoſque Patrum SUA per veſtigia greſſus
  Legerit, o quantum laudibus adjiciens?
Ut mens cana ILLI roſea vel ab uſque Juventa,
  Ut juveni pectus corque ſenile fuit?
Quid memorem pietatis opes, ditiſſimus unde
  (Nilus ut, effuſo flumine, dat Segetes)
Civibus, & quocumque gradu ſe contulit alto,
  Sparſit munifica munera larga manu?
Gallia, Teſtis ades(2).quamquam excultiſſima Regis
  Aula TUI, cultus ſuſpicis hoſce tamen.
Omnia Romanæ cedunt miracula terræ.
  Hos ſtuper immoto Roma ſupercilio.
Dum loquitur: NOVA POMPA VENIT, ſublimis ab alto
  Dat ſignum ſcopulo buccina, POMPA VENIT.
Procedunt Proceres, ſancto comitante Senatu,
  Quo ſe Libertas continet Auſoniæ.
Cuncta peregrinis rident fora, compita, tecta,
  Inſtrata aulæis, conſita divitiis.

In-

Ingeminant plauſus; Populorum vox tamen una eſt:
O QUANTUS PATRIÆ NUNC, MOCENICE, REDIS?
Ecce redis, puro ut procedit Veſper Olympo,
Circumdant nitidas aſtra minora comas.
O Pater, o Princeps, mihi tandem poſſe tueri
Vere iterum optata num datur ora die?
Tu nuper mihi Phœbus eras, (3) Cæloque Quirino
Fulgebas, illo non minor irradians: (bat,
Ad quem ego, ceu ſerpens, rigidum quem bruma tege-
Viſus eram exuviis inraluiſſe novis.
Dum queror ipſe tamen, ſubito TE turbine raptum;
Mique prior circum dum volat umbra caput,
Tu, vix Romulidum illuſtraſti lampade terras,
Exurgis Veneto pulchrior, ecce, mari.
Quam bene mæandro duplici Melibæa cucurrit
Purpura TE circum, diaque membra tegit?
Hoc, Tyria, eſt Oſtrum, quod nevetat Amphitrite,
Quod relevant variis ſerica textilibus.
Grande Decus Patriæ, cujus caput ab Jove ſummo
Ornatum eſt ſanctis ante cupidinibus,
Cui mores Pietas finxit, linguam aurea Suada,
Cui Pudor ingreſſus, ingenium Probitas,
Perge, age, Supremis Pacis modo conſule rebus;
Effulge Hadriacis nobile Sydus aquis.
Scilicet & tempus venier (properate putandum eſt,
Nec dat Apollo meras fingere blanditias.)
Optatum Proavis tot jam per ſæcula tempus,
Iſmatio Europam educere ſervitio,
Victores dominæque Aſiæ invexiſſe LEONES,
Ad clavum VENETÆ cum, MOCENICE, RATIS
Unanimum extulerint TE olim ſuffragia Patrum,
Purpura olorinis (4) ceſſerit atque Togis.

Ipſe

Ipſe per Ægeas comitatus mille carinis
  Cycladas, & ſcopulos ipſe per Ionios,
Othomani late Spoliis Ditate Tyranni,
  Graiorum Veteri colla jugo eripies.
Te poſt felici ſuperata Ceraunia Velo,
  Accipiet placidis Oricos æquoribus.
Et Byzantina demum ſublimis in Arce
  Sub pedibus Lunam parta trophæa premes.
Non ego tunc Hadriæ vetear mare noſcere TECUM,
  Sim nec mers tardis navita Vergiliis,
Sit Maleæ credenda ratis fallacibus undis,
  Sit licet Eleis, impiger uſque ſequar.
Et celſa quoties reſidens Victoria puppi,
  Plauſibus impleerit littora Theſſaliæ,
Ipſe canam toties, redimitus tempora lauris,
  Deductum ſeptem carmen arundinibus.
Interea ſpes alma ſedet, credatque futurum,
  Præſentique adhibet pectora lætitiæ.
Ingredere o magnis jam præluſure triumphis,
  Et ſine, me obſequio ex parte vacare meo.
Munificæ ut figam, concedas, oſcula Dextræ......
  Quæ mihi, TE Patriæ, ſed rapit aura, Pater?
Oſcula dum dextræ incumbens inſculpere tento,
  Omnia in antiquum jam rediere chaos.
Ter fruſtra conatus eram. Pulcherrima rerum
  Oſtenta, & ſomnum diſpulit orta dies.
Sed tamen illa dies hæc eſt, qua purpura fulget
  LOYSIOÆ. Abſens graruler uſque licet.
Exere feſtivos, Titan Pater, exere vultus,
  Lampade conſurgens & meliore nite.
Exorere o Populis expectatiſſima tandem
  Læta dies, feris invia luminibus.

JO-

III

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU

EPISTOLA. III. TIBURTINA
AD
VIRUM ILLUSTRISSIMUM

NICOLAUM MARIAM ANTONELLUM
IN FUNERE

PHILIPPI FRATRIS
POETÆ AC BELLATORIS EXIMII.

Edita eſt Senæ Gallorum, ac Romæ in Libro, cui titulus: *Raccolta di Componimenti, &c. degli Accademici Immaturi della Pergola* : in 8. Anno 1735.

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS
SOCIETATIS JESU

CLARISSIMO VIRO

NICOLAO MARIÆ ANTONELLO.

SANGUINOLENTA feri quiſquis Veſtigia Martis
Sectatur, gradiens ſcuta per, & galeas,
Hiſpida Caſtrorum cui dant Tentoria ſomnos,
Quem fert aſſiduo pulvere turpis equus;
Pulſatæque placent arces, & prælia cordi
Cui ſunt, & victo ex hoſte triumphus, amor;
Illum paciferæ nunquam mulſiſſe Sorores
Carminibus valeant; effera Pegaſides
Ducere nequicquam tentantes corda; ſed armis
Incubat advigilans nocte dieque ſuis.
Contra: naſcenti dexter cui riſit Apollo,
Quem tulerunt puerum Pierides gremio,
Ocia Muſarum ſequitur; juvat hunc cava rupis
Antra recantatis rumpere carminibus:
Seu laudes Alconis habet, ſeu Phyllidis ignes;
Alter cura recens, altera primus amor.
Illum non vario traxit fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis hoſpes aquas.
Bella gerant alii, partiſque ex hoſte trophæis,
Plebis (*Io!*) magna voce (*Triumphe*) canant;
Pileolum ipſe, enſem, galeam, & calcaria Marti
Suſpendit, clauſas Numinis ante fores.
Tu tamen, ANTONELLE (1) Deum ſectatus utrumque,
Carmen Apollineum, Martis & arma moves.
Fert galeam atque enſem lorica indutus Apollo
Iſte Tuus, Mavors cantat & ipſe lyra.

Rauca nec impediunt, quos promis, tympana verſus,
  Hæret clangenti fiſtula mixta tubæ.
Te Bellatorem Bondenus (2) proxima ſervans
  Stagna Padi toties prædicat horribilem,
Hoſtibus horribilem; denſos ſive arce repellis;
  Seu Tua dextra acie fulminat in patula.
Ocia Muſarum ſimul & coluiſſe, Metaurus
  Te acclinem ripis prædicat uſque ſuis.
Arcadicumque Nemus, cum Te Paſtoria pellis
  Obtegeret, Vatum cœtibus inſeruit.
Nec tamen interea Sobolis pia cura parandæ
  Miſſa Tibi, aut charæ Poſteritatis amor.
Bis ſanctæ fulgere faces; bis conſcius æther
  Conjugii; Sanctus bis celebratus Hymen.
Nam caſtis poſtquam thalamis Victoria (3) ceſſit.
  Eheu! immaturo funere rapta Tibi;
Te decies fecit generoſa prole parentem,
  Julia Faneſtris quam Tibi dat Catharis: (4)
Et quamvis Natos dederis Tu quinque Sepulchris;
  Cura tamen Superum ſunt pia, quinque ſuper.
Occidis interea fato demeſſus acerbo;
  Arte Machaonia prævaluitque malum.
Nec Pietas, nec priſca Fides, nec candida morum
  Integritas Parcis continuere manus.
Interitura tamen Tua ſunt tunc nomina, quando
  Exitium terris afferet una dies.
Germani Fratres merito immortale Sepulchrum
  Compoſuere boni Fratris ad exuvias.
Interiorque Tibi carmen Nicolaus (5) in Urna
  Scripſit, quod valeat diſcere Poſteritas:
Dimidium Noſtri condit lapis iſte Philippum
  Muſa, Armis Clarum, & duplice Conjugio.
Quo mihi triſte nihil potuit contingere Vivo.
  Quo mihi prærepto, dulce quid eſſe poteſt?

❧ IIII ❧

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU
EPISTOLA . IIII . TIBURTINA
AD
P. BENEDICTUM CAMPOSAMPIERO
PATAVINUM VIRUM PATRICIUM
CONGREGATIONIS B. V. MONTIS OLIVETI
INSIGNEM THEOLOGUM
Longos poſt annos ex Urbe Patriam reviſentem.
ANNO CIƆIƆCCXLI.

Edita eſt Patavii apud Joſephum Cominum in 8.
eodem anno.

Rauca nec impediunt, quos promis, tympana verſus,
  Hæret clangenti fiſtula mixta tubæ.
Te Bellatorem Bondenus (2) proxima ſervans
  Stagna Padi toties prædicat horribilem,
Hoſtibus horribilem, denſos ſive arce repellis,
  Seu Tua dextra acie fulminat in patula.
Ocia Muſarum ſimul & coluiſſe, Metaurus
  Te acclinem ripis prædicat uſque ſuis.
Arcadicumque Nemus, cum Te Paſtoria pellis
  Obtegeret, Vatum cœtibus inſeruit.
Nec tamen interea Sobolis pia cura parandæ
  Miſſa Tibi, aut charæ Poſteritatis amor.
Bis ſanctæ fulgere faces; bis conſcius æther
  Conjugii; Sanctus bis celebratus Hymen.
Nam caſtis poſtquam thalamis Victoria (3) ceſſit.
  Eheu! immaturo funere rapta Tibi,
Te decies fecit generoſa prole parentem,
  Julia Faneſtris quam Tibi dat Catharis: (4)
Et quamvis Natos dederis Tu quinque Sepulchro;
  Cura tamen Superum ſunt pia, quinque ſuper.
Occidis interea fato demeſſus acerbo;
  Arte Machaonia prævaluitque malum.
Nec Pietas, nec priſca Fides, nec candida morum
  Integritas Parcis continuere manus.
Interitura tamen Tua ſunt tunc nomina, quando
  Exitium terris afferet una dies.
Germani Fratres merito immortale Sepulchrum
  Compoſuere boni Fratris ad exuvias.
Interiorque Tibi carmen Nicolaus (5) in Urna
  Scripſit, quod valeat diſcere Poſteritas.
Dimidium Noſtri condit lapis iſte Philippum
  Muſa, Armis Clarum, & duplice Conjugio.
Quo mihi triſte nihil potuit contingere Vivo
  Quo mihi prærepto, dulce quid eſſe poteſt?

IIII

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU

EPISTOLA . IIII . TIBURTINA

AD

P. BENEDICTUM CAMPOSAMPIERO

PATAVINUM VIRUM PATRICIUM
CONGREGATIONIS B. V. MONTIS OLIVETI
INSIGNEM THEOLOGUM

Longos poſt annos ex Urbe Patriam reviſentem.

ANNO CIƆIƆCCXLI.

Edita eſt Patavii apud Joſephum Cominum in 8. eodem anno.

P. BENEDICTO CAMPOSAMPIERO

PATRIAM REVISENTI

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS SOCIETATIS JESU

IBIS ad Euganeos ſine me (1), BENEDICTE, Penates,
  Eſt pueris nobis hauſta ubi prima dies.
Cognatos, Charoſque Tuos poſt longa reviſes
  Tempora, præque oculis ora Parentis erunt.
Felix ſorte Tua! felicia & oſcula Matris!
  Heu (2) mea quam celeri funere rapta mihi!
Attamen eſt Genitor ſuper, & tres ſunt mihi Fratres,
  Terna Soror ſacris addita Virginibus:
Sunt Cognatorum reliqui, quos viſere longo
  Inviſos nimium tempore debueram.
Et ſolita Natale ſolum dulcedine captat,
  Abſentiſque meum vellicat uſque latus.
Sæpius & nobis *ſimul o ſimul ibimus*, inquis
  Tu quoque; *quin properum continuamus iter?*
Nec tamen expugnas, rerum Dulciſſime, nec me
  Dulcis amor Patriæ, aut vincla Paterna movent.
Quæ puerum placida vinxit me compede Roma,
  Nimirum hæc nectit mi aurea vincla viro.
Nec tamen ambitione, gravive cupidine preſſi
  Pallere Urbanis cogimur Officiis.
Proxima de tuto ſpectamus at æquora portu;

Fu-

Fumum & opes, noſtræ & ſervitium Dominæ.
De Tiburte ſolo, Herculeis de mœnibus, illam
Proſpicimus: procul hinc ſic mala quæque ſua.
Tu interea properas, Charorum & gaudia quæris,
Fumum & de patriis poſſe videre focis.
Impoſitus mannis Umbros, Picenaque tranſis
Rura, Ravennates Flaminioſque Lares;
Approperas Veneris curſim Te ſiſtere terris,
Atque Antenoreas viſere relliquias:
Quos Trojana manus poſuit fauſto alite muros;
Urbs Patavi nomen traxit & unde ſuum.
Ingenio cæli, felix Urbs ubere glebæ,
Quam beat immenſis plurimus amnis aquis.
Quam ſibi delegit propriam Sapientia ſedem.
O Patria, o Muſis ſemper amata Domus!
Sed propera; antiquos pio me quoque viſe Penates,
Euganeos Colles (3) irriguumque Aponum.
Et celsum Silicis Montem, Ditemque propinquum,
Pampineiſque ſimul Proximum Atheſte jugis.
Arquataſque Domos celebres ſuper aſtra; Petrarchæ
Frigida Franciſci qua tegit oſſa lapis.
Virgineumque Ottona, Ruæ nemoroſaque tecta,
Numquam femineo tecta adeunda pedi,
Et Ruſſum, Merulam, Cetrum, Calaonaque Montes,
Cinthia, Rura Tuæ & proxima Bendadiæ.
Euganea, & reliquos circum, Regione Receſſus
Luſtrabis; longum quos numerare nimis.
Euſebii, (4) hos inter, Vallem, dulceſque latebras
Vatum olim noſtrum præteriiſſe nefas.
Frater in hanc animos & Avunculus excitat, atque
Me Burdegarii dulcia plectra movent.
Salve chara meis longum Terra hoſpita Muſis!

In

In re quam multus guttura ſolvit olor?
Et Locus eſt (memini) medius quem dividit amnis;
Vicina hunc ſignat Septimus Urbe Lapis.
Ad Pugnam (5) dixere Patres, nunc *Otia* dicas
Tu melius: regnat namque ibi longa quies.
Fertilis hic, riguis & amœnis undique rivis;
Chartarum Sedes hic fovet Artifices.
Duxit in hoc quoſdam quam læta puertia ſoles
Noſtra, per Autumnum & tempora prima ſua!
Hinc modo Catajas ſolita eſt inviſere moles,
Et modo Pigotiæ limina Parthenidos.
Fluminis ad curſum ſi TE hinc traducere lintei
Urgeat, in *Media* diceris eſſe *Via*.
Nec procul hinc humilis *Tellus* cognomine *Dura*
Oſtendet Fratris jugera culta mei.
Parte alia veſtræ *Ripæ* (6) luſtrabitis amnes;
Parte alia Villas, atque alia, atque alia,
Æmula Bajanis (7) Paravinaque Littora Villis,
Heſperidumque Hortis, Alcinoi Elyſii.
Quaque iter ad Venetas, Artis miracula, ſedes,
Multa ubi concluſas (8) Porta moratur aquas.
Littus ubi nautis (9) cauponibus atque malignis
Differtum, & nocte & publica cymba die
Itque reditque viam toties; minimoque parantur
Gaudia, quæ Veneris vector ab haurit aquis.
Sæpius hic ſiccus cœnantes haud animo æquo
Expectes comites, dum properare cupis.
Hic cum nox primas umbras inducere terris,
Et ſua cum cælo effundere ſigna parat;
Tum pueri nautis, pueris convicia nautæ
Ingerere, & neutri cedere velle loco.
Huc appelle, precor. Satis eſt. Conclude trecentos;

O *Obe*

Obe jam ſatis eſt. Mergimur. Obe! ſatis.
Dumque æs exigitur, curta & dum mula ligatur,
Quæ foret apta Tuæ multa abit hora viæ.
Jamque mali culices bombo ranæque paluſtres,
Avertunt ſomnos, pervigilemque necant.
Proluvus vappa abſentem dum cantat amicam
Nauta, viatoris carmine certat amor.
Quod ſi jam feſſus tandem dormite viator,
Incipiat mediis ſiſtere cymba Vadis.
Nauta piger miſſæ paſtum retinacula mulæ
Nam religat ſaxo. Aſt ipſe ſupinus hiat.
Jamque dies adeſt. Tu nil procedere lintrem
Sentis, nec ſtomachi vim patiare Tui.
Sed veluti quondam cerebroſus proſilit unus;
Et mulam & nautam fuſte dolare velis.
Denique jam quarta Venetos exponeris hora
In Portus Hadriæ jam Tibi Regna patent.
Videris Hadriacis Venetam conſurgere in undis
Urbem, quæ totis jura dat æquoribus.
Et quamvis Dominæ meminiſſes mœnia Romæ,
Romam homines dices, hanc poſuiſſe deos.
Aſt ubi maternos iterum remeare Penates,
Contigeritque frui dulcibus alloquiis;
Ne Te prætereat *Petri* (10) quoque *Campum*,
Unde Decus veſtræ Primaque origo Domus.
Hic Tiso, Benedicte, Tuæ pia gloria Gentis
Lusiadæ Magni clarus ab Hoſpitio.
Antonj in gremium Deus hic deſcenderat Infans.
Tisonem ſancti nec latuere doli.
Felices potuere oculi qui Numine plenum
Nexum Divinis cernere brachiolis!
At Tu dum properas, veteris mandata Sodalis

Quæ

Quæ in Patriam referas, dulcis Amice, cape.
Vade age,& antiquo Nati hæc bona verba (11) Parenti
Fer · *Tuus ille valet, teque valere jubet.*
Gratatur ſeros, quod te fortunet in annos
Propitium Numen, quod bona poſteritas
Sit tibi natorum fulgens, virtute, loco, re;
Gaudia qui tibi dant pro pietate tua.
Ultimus ille licet, quamvis longinquior abſit;
Forte prior reliquis, te prope ſemper habet.
Illius ante oculos tua ſemper oberras imago,
O Pater, immemorem nec ſinis eſſe tui.
Et pro te precibus Superos votiſque fatigat
Aſſidue. O utinam ſint pia vota rata!
Exin Germanos pro me ſaluere jubebis;
Queis precor e cælo proſpera cuncta cadant.
Primuſque, Antoni, *Muſarum cura valeto,*
Et Graio, & Latio tam inclytus eloquio,
*Cum Conſorte tori * tibi dat quam Terra Catulli.*
O fida anguſtis anguſtis femina temporibus!
Tu quoque Naturæ evolvens qui arcana repoſta
Scrutare humano in corpore quid lateat,
Frater *ave; pueroſque tuos ſalvere jubeto,*
Et bene rem gerere ex nomine quemque meo.
Tertius at, lucem cui docta volumina debent
Et pia tot, curis innumerabilibus,
Felix, Cajetane, *precor, ſis. Numen amicum*
Utile fortunet, quod moderaris, opus!
Hactenus humanis: nunc Te divina rogabo.
Cæleſtes patrios (12) propitiare mihi.
Præcipue Antonj pro me advolvare ſepulchro,
Adque immortales Giituris exuvias.
Templum auguſtum ingens mox Justinæ ingrediare,

Plurima quo Heroum molliter oſſa cubant,
MAXIMUS, & DANIEL, dux & PROSDOCIMUS illis,
Et qui Cæleſtum cetera Turba ſimul;
O Patriæ Tutela mea, ſuffragia Veſtro
Pro cive & minimo atque exſule ferte PATRI.
Ternas ſi nimius labor eſt adiiſſe Sorores;
Templa tamen (13) SOPHIÆ non ſit adire labor.
Binas invenies illic, quibus, *eſſe beatas,*
Et noſtri memores, meque valere refer.
Tertia poſt CLARÆ (14) quæ natu maxima, degit.
Huic eadem noſtro nomine dicta dabis.
Denique Charorum manes quoque viſe meorum,
Et pro me cunctis dic bona verba ſimul.
MagnaSyracoſiæ(15)horum eſt pars ſortita ſepulchrũ,
Ornato nuper Virginis in Gremio.
Heu heu! eſt hic Mater, Patruus, Fraterculus hic eſt.
Communi Gentis compoſiti tumulo.
Carminaque Antonj de munere VULPIA graudis
Hæc habet inſcriptus, qui regit Oſſa, lapis.
NOS TENET ALTA QUIES PLACIDOQUE SIMILLIMA SOMNO,
QUÆ SUMUS IGNARIS CORPORA VISA MORI.
HIC ERIMUS, DONEC RESERATO CHRISTUS OLYMPO
ÆTERNO JUBEAT NOS VIGILARE DIE.
Conditur exuviis diverſus Avunculus iſtis.
Grande ſed hunc fuerit præteriiſſe ſcelus.
ZENE (16) *vale* (dices igitur) *tua maxima cura*
Rocchus TE PATRIÆ LUMINE PERPETUÆ
Et cupit, & putat exceptum; & (ni forte) precatur;
Aſſiduæ & poterunt obtinuiſſe preces.
Gaudia ſed nimium tua ſunt, BENEDICTE, meorum
Luctibus (ignoſcas) jam male mixta mihi.
Perge frui. Verum talis quoque tædia vitæ

Sunt

Sunt multa. Expetto plurima crede mihi.
Tu Patriæ dum quæris opes, incendia cernes,
Et deſolatas eſſe querère domos.
Et fruſtra veteres quæres deceptus amicos,
Injecit quibus, heu! Parca inopina manus.
Florentiſque alios, te diſcedente, juventæ,
Jam depontanos eſſe querere ſenes.
Quid quod amaror ineſt voluendo tempora priſca,
Et loca quæ puero ſunt celebrata tibi?
Optima quæque dies animo nam lapſa recurſat,
Nec pote quin multam inſtillet amaritiem.
Ergo age, te expedias, & vitæ redde priori,
Et Romam cunctis antetuliſſe velis.
HæcDeaTerrarum(17),Populorum eſt hæcDeaRoma;
Nil prius hac, huic par invenieſque nihil.
Omnia Romanæ (18) *cedunt miracula Terræ:*
Natura hic poſuit quidquid ubique fuit.
Hic Pietas, hic Religio, Sapientia ſedem
Hic poſuit: cunctis Artibus iſte Locus.
Hæc alias inter, tantum caput extulit Urbes, (19)
Quantum inter filices alta cupreſſus habet.
TE docto in gremio hæc dudum, BENEDICTE, recepit;
Excipietque avido Te' reducem ipſa ſinu.
Ergo adſis; & pollicitas ne falle Kalendas. (20)
Protinus ut redeas, jam mihi ſerus eris.

✠ V ✠

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU
EPISTOLA . V . TIBURTINA
AD
CAROLUM MANDOSIUM
S. J.
OMNES ANIMI MOTUS AD VIVUM
ELEGIS EXPRIMENTEM.

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS
SOCIETATIS JESU

CAROLO MANDOSIO
SUO

SICCINE cor verſas noſtrum, Divine Poeta?
 Pectore concludis torque intimca meo?
Carole (1) ſic noſtrum verſas, ſic Carole, pectus?
 Et timet, & ſperat, & petit, atque fugit.
Iraſcor, parco, lætor, triſtiſque recedo,
 Miratumque ſui cor, ſimul odit, amat.
Audebam nuper. Procul aſtitit at timor auſis.
 His timor accedens nam ſtruit inſidias.
Odi equidē exhorreos, tenerum at non inter amorem,
 Exercere odia, ut captos amore, queam?
Quod cupii, tunc non potui fugiſſe. Nec ipſi
 Adſtabant trepidæ fervida vota fugæ.
Tam varias facies Sol non deſpectat ab alto,
 Dum properat pelago mergere lætus equos.
Nec me pugnaces ventos concluſit Ulyſſes
 Utre cavo longa exactus in exilia.
Tam varios flores Tellus non parturit una.
 Hæc eſt apta roſis, illa liguſtra creat.
Vellera dant Seres, ſi dant ſua thura Sabæi;
 Thuraque coguntur cedere velleribus.
Frigoribus rigidæ ſi horret Germania brumæ,
 Æſtuat haud flammis, Africa Terra, tuis.
Diſſita Tu tantum, tantum contraria jungis,

P Pe-

Pectore concludis reque inimica meo?
Ætna velut nivibus riget, & comburitur igne,
  Nec minuit flammas nix, nec ab igne perit:
Sed fœdus flammiſque nives, nivibuſque favillæ
  Servant, æterna quod feriere fide.
Sic Tua mirandum ſociarunt carmina fœdus.
  Ira, odiiſque tener non prohibetur amor.
Nec minus eſt odium tenero quod adhæret amori;
  Nec, quod adeſt odium, tunc minus ardet amor.
Me miſerum! placidos inter dum verſor amantes,
  Dilacerant animos ira, odiumque meos.
Ah quoties lacrymas fudi, dum gaudia quæro!
  Inveni ah quoties gaudia pro lacrymis!
Viciſti noſtrum, Vates Dulciſſime, pectus,
  Viciſti, nutu ſtatque caditque Tuo:
Nam, fateor, cor molle mihi ſolet eſſe, nec unquam
  Non veſtris durus caſibus adgemui.
Seu dolet Alcyone charo divulſa marito,
  Indolui Alcyones tam procul eſſe virum.
Seu rapta (2) eſt miſeræ quærenda Proſerpina matri;
  Cum Cerere haud renuo quærere Perſephonem.
Si dare vela mari fortis conſidit Jaſon;
  Adcedo Primæ Sarcina parva Rati.
Dum dolet & gaudet civiſque paterque Latinus;
  Gaudeo nunc civis, nunc pater ipſe queror.
Cum pueros Medea furens male nupta trucidat;
  Heu cogor pueros dilaniare ſuos!
Si matrem cum ſe meminit, vult parcere natis;
  Parce, parens, pueris (tunc rogo) parce, parens.
Dedignata ſequi currus Cleopatra Latinos,
  Si deſperatum pectus ab angue ferit:
Conſilium laudo, bene dedecus eſſe redemptum
Vel

Vel nece, felicem te, Cleopatra, reor.
Denique Hypermneſtra, conjux fidiſſima Lino,
Dum bene crudelem decipit enſe patrem;
Atque manus patrii ſponſi ſcelerare cruore,
Unaque de reliquis eſt face digna Soror;
Defleo. Quid facerem? Scelus eſt immane ſororum.
Gratulor & Sponſæ, Line, tibique ſimul.
Flete, Elegi: Vatem, quo tam nituiſtis, ademtum,
Vatis & amiſſum dulce miniſterium.
Flete, Elegi, flores jam non cantabit apricos,
Contrahit, en, doctæ candida vela rati.
Docte Tibulle comes, comes eſt tibi, culte Properti.
Naſoni hunc aliquis dixerit eſſe parem.
I puer, atque Novum Antiquis ſubſcribito Vatem;
Ni prior eſt illis, eſt magis Iſte pius.

416

❧ VI ❧

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU
EPISTOLA. VI. TIBURTINA
AD
VIRUM ILLUSTRISSIMUM
PATRICIUM
JULIUM
AMALFITANUM
E CRUCCOLI DOMINIS
Inter grata amœniſſimaque Calabriæ Suæ Rura
DEGENTEM.

CLARISSIMO VIRO
JULIO AMALFITANO
E CRUCCOLI DOMINIS
Sibi cum Paucis Chariſſimo

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS
SOCIETATIS JESU
SALUTEM.

QUÆ nuper Calabris, JULI (1), mihi venia ab oris
  A TE miſſa, Tua Charta notata manu,
Teſtis & ingenii ſtudiique, & Teſtis amoris
  Illa Tui, nobis gaudia quanta tulit!
Scilicet & Muſis fortem lætamur amicum
  Olim quam dederas, TE coluiſſe fidem;
Et noſtri memorem ſervare in pectore curam,
  Qualis Oreſteo in pectore cura fuit.
Gratulor & Calabris lætum TE vivere Terris,
  Fumumque e patrus poſſe videre focis.
Sed quid Pegaſidas quereris procul eſſe Sorores,
  Et Phœbum ex iſtis collibus eſſe procul?
Si Calabros coluere ſinus ante omnia Muſæ,
  Littora ſi Calabrum ſunt domus Aonidum.
Ennius ipſe pater vatum, primuſque Latinis
  Auſus Scipiadas dicere carminibus;
Ortus erat Rudiis, Calabræ Telluris alumnis,
  Et cecinit (2) noſtrum maxima facta patrum,
Mantua quem genuit, palmam cui cedat Homerus,
  Virgilium (3) Calabri non rapuere prius?
Et Vatum reliqui, quibus hæc exempla ſecutis
  Annuerunt Calabræ carmina Pierides.
Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt:
  Ingemit in mediis Naſo Poeta Getis.
Anne igitur Terras bene cum luſtraveris omnes,
  Et biberis cunctas mobilis hoſpes aquas;

Ter-

Terrarum potior Calabris Tibi rideat oris
   Angulus ullus, ames quo poſuiſſe dies?
Eſt ubi plus tepeant hyemes, ubi mitior aura
   Temperet æſtivas Sole furente faces?
Perpetuo certe vos iſtbic vere beatos
   Vivere non falſo murmure fama refert:
Et ſemper nitidis, ſemperque virentibus hortis,
   Fructibus atque novis, flore novoque frui.
Felicis mali ſemper frondeſcere ſylvas,
   Et pendere ſuis poma ſub arboribus,
Et Domina (4) procul urbe remotos vivere vobis,
   Quæ fuerat priſcis gloria Conſulibus:
Qui poſtquam clari finiſſent tempus honoris,
   Ibant optatas protinus ad latebras:
Faſcibus & poſitis, trabea, ſellaque Curuli,
   Et Romæ fumo, cumque opibus ſtrepitu;
Sparſi gaudebant pretioſo pretioſo pulvere agelli
   Vertere privato jugera pauca bove,
Balantumque gregem fluvio merſare ſalubri,
   Complere & mulctræ cymbia lacte novo,
Eduramque pyrum ramis felicibus alte
   Inſerere, invita ut non ſua poma daret;
Hybleiſque apibus Vicino ab limite ſepem
   Texere, qua fluerent condita mella favis;
Et caſias, flavumque crocum, floremque ſalicti,
   Propter aquam, dulces appoſuiſſe ербos.
Vos quoque felices, quibus hæc aptiſſima Muſis
   Otia dat patrii littoris ora placens.
Perge igitur Vatum pia poſt veſtigia, Juli,
   Carmina per Calabros voluere docta ſinus.
Quod ſupereſt, Tibi fauſta precor quæcumque parabis
   Eveniant; dextro Numine cuncta cadant.
Diverſos quamvis, jungat nos mutua cura,
   Sum memor ipſe Tui: ſis memor Ipſe mei.

Digitized by Google

❧ VII ❧

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU

EPISTOLA . VII . TIBURTINA

AD

COSMUM DE ANGELIS

ROMANUM ET PISANUM VIRUM PATRICIUM
BARGÆ IN ETRURIA MARCHIONEM *

EX PERSONA

S. ALOYSII GONZAGÆ

AD

CLAUDIUM AQUAVIVA

QUINTUM SOCIETATIS EJUSDEM
GENERALEM PRÆPOSITUM

Ejus Opem ad Ingreſſum in eamdem Societatem
ſibi præpeditum implorantis.

Q

CLAUDIO AQUAVIVA
SOCIETATIS JESU
GENERALI PRÆPOSITO QUINTO.

VIX bene ſanguineum poſuit mea dextra flagellum,
Vixque poteſt ſtabiles ſcribere laſſa notas;
Et quamvis minimi calamus ſit ponderis, illum
Debilis extremis vix regit articulis.
Quare, ſi fuerint nimiæ, rogo, parce, lituræ;
Lubricus hic dextræ debilis error erit.
Qui ſim, forte roges, vel qua de ſtirpe creatus?
Et feriam ſævis cur mea membra flagris?
Ah, Pater, (ipſe parens quando mutatus in hoſtem eſt)
Ah utinam lacrymæ cuncta referre ſinant!
Ille ego ſum (tituli quid magna & nomina proſunt?)
Gonzagæ Soboles Gentis Aloysius;
Cui genitor primis ſceptrum decrevit ab annis,
Cui paret, ſi qua eſt gloria, Caſtilio.
Sed me Sancta vocant dudum Tua Caſtra; fugamque
Jamdudum a patria mens iuſſe mihi eſt.
Pectoris arcani Deus Optimus intima luſtrans
Hoc monet, & ſtimulis incitat aſſiduis.
Hoc monuit nuper Divini Mater (1) Amoris,
Dum peterem, Vitæ quæ mihi certa viæ.
Hoc mihi jam ſedet, hoc eſt alta mente repoſtum;
Hæc deſideriis ultima meta meis.
Hoc velit (2) & Mater; quæ me dum ferret in alvo,

Hæc eadem Superis vota preceſque tulit.
At pater obſtat amans; invitum hic ſumere ſceptra
Cogit, & hic noſtris vincula dat pedibus.
O quoties & quas lacrymas, quæ vota preceſque
Admovi! & fuerunt irrita cuncta mihi.
Ille nihil lacrymis, votis precibuſque movetur;
Perſtat & optata terga vetare fuga.
Quid facerem? lacrymas ultra quid ſpargis inanes?
O Lodoix, inquam, jam nova tela cape.
Quē prece, nec lacrymis, hunc Sanguine forte movebis.
Eſt tibi qui toto corpore Sanguis eat.
Nec mora, nec requies: claudor penetralibus altis,
Me ut valeam diris plectere ſuppliciis.
Loraque cum ſcuticis, & acuta cuſpide calcar
Componunt lateri ſæva flagella meo.
Hæc inter, gemitus mille, & ſuſpiria mille
Effundens, Numen in mea vota voco.
Te has ego per lacrymas, Numen, Te ſanguine noſtro
Placatum, & per quæ vulnera ſæva gero,
O Amor, & mage per quæ olim Tu es vulnera paſſus,
Redde, precor, duri cor mihi molle Patris.
Hæc ego. Sed ſurdas Cælum quoque continet aures:
Hoc quoque (3) crudelis corda parentis habet.
Interea laceros virtus ſua deficit artus,
Semianimis media procubuique domo.
Feſtinant Servi. Mater volat ocyor illis.
Semianimum inveniunt, Seminecemque levant.
Mater amans nati dum vulnera hiantia cernit,
Et totum tepido ſanguine pingue ſolum.
Concidit exanimis nimii vi victa doloris,
Fœdavitque meo ſparſa cruore comas.
Utque diu jacuit, tandem ſibi reddita, natum

Allo-

Alloquitur; fari vix pote prælacrymis.
Nate, quid & Matrem ſimul, & Te conficis? an Tu
Neſcis, quod Matris ſanguine ſpargis humum?
Iſte cruor meus eſt: materno ah parce cruore,
Nate, ſolum tandem ſpargere, parce, precor.
Ni tamen id ſtudio facis, & Te ſanguine noſtro
Sponte levas, Matris quod cruor iſte Tuæ eſt.
Fare, age, Care, Tuos lacerare quid impulit artus?
Teque Tui potuit reddere carnificem?
Parce, precor. Simul hæc queſta eſt, lacrymiſq; repleta,
Continuo genitorem in penetrale vocat.
Ille ferox famulis ſublatus protinus adſtat,
Et ſpirat ſævas ore oculiſque minas.
Sed vix jam Natum vicina morte tuetur,
Et totum cernit ſanguine pingue ſolum;
Depoſita feritate, petit, quæ cauſſa cruoris
Effuſi? lacrymas nec tenet ipſe ſuas.
Expono brevibus: quid enim manifeſta negemus?
Ille mihi victas dat pietate manus.
Nate, meis oculis, vita & mihi carior ipſa,
Et ſi quid vita, & carius eſt oculis;
Sceptra Tui quando vis contempſiſſe parentis,
Teque Deus jubet hoc; quod jubet ille, damus.
Nec valet una mihi fractas vox reddere vires.
Surgimus: optatum jamque paramus iter.
Craſtina lux oritur: ſed conceſſiſſe parentem
Pœnitet, & rurſum pernegat & prohibet.
Cauſſando noſtros in longum ducit amores,
Aptius atque viæ cras fore, ſemper ait.
Me modo Cognatos ſupremum viſere longe
Dicturum veluti verba ſuprema jubet,
Me modo ad extremos ſecum deducit Iberos;

Dein

Dein mecum totam circuit Italiam.
Interea ſpes alma ſedet, ſed inanior uſque,
Atque nova ſemper fit minor illa die.
Jamdudum noſtris ſomnus diſceſſit ocellis:
Languent appoſitis oraque noſtra cibis.
Et crudele agitat ſemper mea dextra flagellum;
Incertos poſſum vixque movere gradus,
Ex ipſo videor focitt prodiſſe ſepulchro,
Occupet & vultus horrida larva meos.
Quod Te, per quidquid ſanctum, per quidquid amatũ,
Per quidquid Cælum, quidquid & Orbis habet,
Per Socios, quos imperiis tam lene coerces,
Obſecro & obteſtor, quam potes, affer opem.
Aut jubeas,(4) aut ne renuas, Pater Optime, tandem
Occulta ut frangam vincla paterna fuga.
Tunc oculus lacrymis, tunc parcet dextra flagellis;
Optata attulerit cum mihi charta: *Veni*.

JO-

❁ VIII ❁

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU

EPISTOLA VIII. TIBURTINA

In qua inducitur Prophanus Amor,
QUI A SANCTO
JOAN. FRANCISCO REGIS
SOC. JESU
Caſtris exutus fruſtra illi inſidias molitur.*

AD

FRANCISCUM
GRIMALDUM
SOCIETATIS EJUSDEM
POETAM EXIMIUM.(1)

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS
SOCIETATIS JESU

FRANCISCO GRIMALDO
S. J.

Poetæ Didaſcalico Urbano, Œconomico, Aulico.

VIDERAT alta ſolo æquari ſua caſtra Cupido,
Inteſtina Regis prælia dum cieret;
Viderat, & flendo madidis turgebat ocellis,
Et roſeæ lacrymis intumuere genæ.
Mille dolos fruſtra, fruſtra artes mille pararat,
Si potis hoſtilem frangere militiam.
Irrita cuncta cadunt, poſſit licet omne Cupido.
Victus erat, quamvis Omnia vincat Amor.
Quid faceret? num tela ſuum jaculetur in hoſtem?
Jecit; at eſt propriis falſus arundinibus.
Ah quoties jacta retro revolante ſagitta,
Facta ſuis doluit vulnera miſſilibus!
Ah quoties telis reperit vacuamque pharetram,
Et fractos arcus, & ſine luce facem!
Matris opem poſcit, validas quæ ſuggerat artes;
Protinus & Cypriam cogitat ire Paphon.
Utque alatus erat, rapido volat ocyor Euro,
Laſſulus & matris conſtitit ante pedes.
Forte Venus Paphiis curru ſublimis in hortis
Errabunda, roſas crinibus addiderat.

Subſtitit, & faciles greſſus preſſere Columbæ:
  Et Nati lacrymis miſcuit ipſa ſuas.
Pectore ſollicito lacrymarum quærere cauſſas,
  Dum puerum tepido mœſta fovet gremio.
Nate, meæ vires, tua tanta potentia, Nate,
  Quo ruit? ut victus, qui modo victor eras?
Hoc mage flere puer, lacrymis mage laxat habenas,
  Inficiente genas Imbre Cupidineas.
Aſpicit hæc fractos arcus, vacuamque pharetram
  Miſſilibus, triſtes & ſine luce faces,
Et cuinam de te licuit, Nate optime, tantum,
  Exclamat; quibus ah, Nate peris manibus?
Quin etiam teneris infixa ut ſpicula membris
  Vidit, & a telis vulnera facta ſuis;
Projecitque procul contextas flore corollas,
  Et laniata comas, talia dicta dedit:
Per ſalis imperium, per quidquid in æquore, juro,
  Haud impune meus dilaniatus Amor.
Improbus ille nimis, telis qui fixit Amorem!
  Jamque luet pœnas, improbus ille nimis!
Fare age, chare puer, nec te tua mater inultum
  Aſpiciet, brevis hic, Nate, triumphus erit.
Tum puer ora roſæ ſpirantia mollis odorem
  Solvit; & indignans talibus alloquitur.
Alma Parens, Citherea, Parens chariſſima nobis,
  Quam merito lacrymæ noſtra per ora fluunt!
Crede mihi, mentemque dolor juſtiſsimus angit;
  Et curæ ingentes pectora noſtra agitant.
Noſti, chara Parens, quam late regna per orbem
  Protulerim: totus jam prope Victus erat.
Utque reluctantium fixerunt ſpicula pectus,
  Facta recantatis pervia carminibus.

Non

Non quiſquam ſe impune mihi tulit impetus hoſtis,
Quin fuerit nobis & ſpolium, & titulus.
Regnabam placidus: quaque effert Gallia tertis
Seſe, ſecuro Caſtra fuere mihi.
Neſcio quis clara REGUM de Gente Tyrannus
Invaſit ſceptris ſubdita Regna meis.
Extremaſque palam ferus intentare ruinas,
Inteſtina rapax hoſtis & exitia.
Protinus exarſi: peſtem extinxiſſe ſagittis
Aggredior, cœptis & mora nulla meis.
Jam telum ex pharetra deſumo, arcumque reduco,
Certaque mitto manu ſpicula prævalida.
Ter conatus eram excuſſo configere telo
Hoſtem; ter fuerunt irrita vota mea.
Nam modo penna ſuæ ſubito eſt ablata ſagittæ;
Et modo conſuetam perdidit arcus opem.
Sæpe etiam, pharetra dum promere ſpicula conor,
Inſcius ah pharetra jam viduatus eram.
Sæpe etiam, vafrum dum telum fertur in hoſtem,
Læſerunt noſtrum tela retorta latus.
Cerne, Parens, rubeant vivo ut mihi membra cruore.
Addita cerne, Parens, vulnera vulneribus.
Quin etiam, matris gremium ut forte petiſſem,
Hoſtis eram telis victima facta meis.
Hæc Amor, & calido fletu non deſtitit ora
Spargere, ſingultu præpediente ſonos.
Oſcula libavit flentis Cythereja Nati:
Protinus atque novos juſſit inire dolos.
Si fatuos arcus quereris, fatuaſque ſagittas;
Hactenus atque tuum ſi ruit imperium;
Arma dabo, Siculis quæ quondam noſter in antris
Conjux a Sterope mi fabricata dedit.

Sume tibi galeam, triplicique ex ære rigentem
  Loricam: hæc humeros; ambiat illa caput.
Diſtinctumque auro, & gemmis cape protinus enſem:
  Hæc penetrare acies pectora quæque ſolet.
Hæc fuit, Æneas olim qua vulnere Turnum
  Confecit. Fratris tu modo facta refer.
Hæc Venus: inſuetis amicitur protinus armis
  Ille; ſed o capitis quam grave ſentit onus!
Loricamque humeris aptat, quam mole gravatus,
  Qui nudo ſemper ire ſolet latere!
Hinc torvam ſimulat frontem, vultumque minantis:
  Pro riſu feritas, ira, furorque ſubit.
Quam male ſed vultum præfert, ſimulatque minantis!
  Terribiliſque licet, ſic tamen uſque placet.
Maternis munitus erat jam fortior armis:
  Franciſci & ſacros pergit adire lares.
Tardant arma gradum, ſolitiſque eſt uſus in alis
  Nullus; penna gemit pondere ſub nimio.
Denique ſe toto ferus effert impete in hoſtem,
  Totus & extremis ſubſtitit in digitis.
Forte triumphatis campo Franciſcus aperto
  Hoſtibus, & præda victor onuſtus erat.
Huic Amor: & quonam Te proripis, improbe, dixit:
  Siſte gradum. pœnas, jam moriture, dabis.
Vix hæc: & ſaculum tentat transfigere pectus;
  Inque Virum totis arma movet manibus.
Heu quid agas, Franciſce? moram fert nectere nullam
  Franciſcus: contra fertur at impavidus.
Immo etiam ad gladios (cernin'?) ſua pectora nudat.
  Pectora fige ferox, dum tua caſtra ruant.
Magnanimum ſtupuit, miranſque exterritus hæſit:
  Victus & in turpem ſe dedit ille fugam.

Sepe

Sepe ſed immenſæ mens icta dolore ruinæ
   Incaſſum ad primas iruit inſidias.
Nam quoties armis petiit crudelibus hoſtem,
   Se toties turpi tradidit inde fugæ.
Donec in Hyrcanas compulſus ſe abdere ſilvas;
   Poſſet ut immanes exagitare feras.
Improba victa Parens! Victor Puer improbus ille!
   Improbus ille puer! improba victa parens!
At FRANCISCVS ovans, omnes qui vincit, Amorem
   Vicit; onus ſpolii fertque Cupidinei.
O utinam in tantum ſacra bella movere tyrannum,
   Sub Duce tam claro detur & eſſe mihi!

134

❁VIIII❁

JOSEPHI ROCCHI VULPII

E SOCIETATE JESU

EPISTOLA.VIIII.TIBURTINA

AD

FRANCISCUM MARIAM LACTANTIUM.

DE

ARICINORUM VETERUM MONUMENTIS

Egregie meritum

ANNO SAL. CIƆIƆCCXLI.

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS
SOCIETATIS JESU

FRANCISCO MARIÆ LACTANTIO

BENEVOLO SUO.

CULTOR Aricini Nemoris Templique Dianæ,
Et, FRANCISCE, Lacus conſcius Hippolyti,
Quas Tibi, quas, duplici reddam pro munere grates?
Das (1) Tuſcas, Latias das mihi divitias.
Per Te Dictynnæ ſpeculum mage lacte renidet,
Et purgata putri quæ monumenta ſitu.
Per Te, quæ fidibus fuerat contenta Latinis,
Gaudet (2) & Hetruſcis nunc mea Muſa modis.
Nec gemini fratres, ipſis gratiſſimus error
Patribus, aut ovum eſt ovo ita conſimile;
Ut Tua Hetruſca meis reſpondent Dicta Latinis;
Ut Patris iſte Tuus Filius ora gerit.
Macte animis. Stadio pergas decurrere cœpto.
Eſt ſuperata Tibi nam ardua prima Via.
Sic Tibi contingat ſemper bene poſſe mereri
De Puero (3), ſancte quem pius inſtituis.
De Puero, Charites quem compoſuere, Bonique
Divi; de Puero jam præeunte Senes.
Qui jam Romanæ Hiſtoriæ Monumenta recenſet,
Livium & a teneris imbibit unguiculis.
Qui (4) præclarorum ſurgit Decus omne Parentum

Unicus, atque ipſos qui decorabit Avos;
Majorumque Novis Titulos augebit Avitos,
O quantum antiquis laudibus adjiciens!
Magnus enim ſtimulis & Avunculus excitat, atque
Excitat Hunc Patrui (6) Purpura clara ſui.
Te Duce, Sirenum ſcopulos declinet acutos,
Et commune nimis naufragium caveat.
Impiger & nugis, & ſomno, & inertibus horis
Virtutis ſcandat culmina, poſtpoſitis.
Hæc modo pro dulci nos vota vovemus Alumno.
O utinam, Superi, ſint pia vota rata!
Aſt olim Grajæ Tibi credita cura Juventæ
Lactanti, & miſerum Relliquiæ Danaum,
Quos Tu, paſtor oves veluti, bona paſcua ſemper
Adduxti, exemplis per benefacta Tuis.
Relligionis opes & nunc ſacra Regna propagant
Sparſi Grajugenis (7) Sarmaticiſque jugis.
Hos imitata ſequi properat lectiſſima Pubes,
Quæ Magni auſpiciis creſcit Athanasii.
Hanc nos ad pugnam armamus; contraque Rebelles
Romanæ Sedis bella ciere viros.
Et Dolopum fraudes occulta cavere venena,
Priſca Latinorum hic exuere atque odia.
Diſperſas ut Oves unum concludat Ovile,
Concordeſque ſequi Paſtor ut unus agat.
At Te Propitium Numen fortunet, Amice,
Et referas partis præmia pro meritis.

Jo.

Google

❀ X ❀

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU
EPISTOLA. X. TIBURTINA
AD

JOSEPHUM ALEXANDRUM FURIETTUM

PRÆSULEM, AC JUDICEM
IN ROMANA CURIA ÆQUISSIMUM
JURIS-CONSULTISSIMUM
EUNDEMQUE
VETERUM TIBURTIUM MONUMENTORUM
VESTIGATOREM SAGACISSIMUM.

14C

JOSEPHO ALEXANDRO FURIETTO

PRÆSULI SAPIENTISSIMO

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS
SOCIETATIS JESU

Bene rem gerere.

AMphitrioniadis Colles, (1) Terra hoſpita Muſis,
   Et Nemora arboribus (2) conſita Palladiis,
Præcipites Anienis Aquæ, Pomaria rivis
   Fœcunda, æternum & pervia mobilibus,
Pampineis impoſta jugis reſonantia late
   Albuneæ (3) quondam conſcia Templa deæ,
Urbis ALEXANDER (4) rerum ſi mole gravatus
   Ceſſerit in veſtros ſe abdideritque ſinus,
Pandite cuncta Viro vos gaudia veſtra merenti,
   Atque exquiſitas pandite delicias.
Hic Vir hic eſt vindex incorruptiſſimus æqui,
   Sancta ſuas lances cui dat habere Themis,
Quo multæ magnæque ſecantur Judice lites,
   Omne Forum cujus cedit in arbitria.
Hic, cui jura patent Divina humanaque tantum,
   Cecropio (5) quantum vix patuere Seni.
Sed Tiburtinos ſoles quotus imputat annus?
   Quot vacuo Urbanis tempora muneribus?
Lentius, ah! Nonis Octobribus ite Kalendæ
   O nimium junctæ, Ruri (6) inimica dies.
Quæ tenet interea Tiburtia Rura voluptas?
   Prima, Forum atque Urbem poſſe videre procul.

Paca-

Pacatis vacuiſque frui tum noctibus, ullus
  Ad galli cantum quin temerare cliens
Has valeat; feſſumque latus dum vertere malis,
  Cogar ſollicitos te evigilare dies.
Tertia, Tiburtes auras captare ſalubres,
  Et doctis ſeſe Cœtibus inſerere.
Triſtibus & poſitis ſtudiis, ceſſante Rubrica (7)
  Carminaque, & placitas conſulere hiſtorias.
Et modo cum Lando,(8) Sancto modo cumque (9) Ca-
  Nocturna in longum ducere colloquia. (nali
Adde dolos turdis, jucundi præmia ruris
  Cancros (10) & lepores, his ſuperadde favos.
Et duplices uvas (11) pariter cum duplice ficu,
  Et ſapidum quidquid pomifera arva creant.
Non tamen excelſæ ſatis hæc ſunt otia menti.
  Scrutatur terris abdita quæ lateant.
Præcipue Hadriaci Tractus (12) ubi rudera ſurgunt,
  Atque indeficiens continuatur Opus;
Eruta & unde olim, & nuper tot ſigna, vetuſto
  Eruta & Heroum tot monumenta ſitu
Quicquid ſub terra eſt in apricum proferet ætas.
  Ante tot, ut vere, ſæcula, Flaccus ait?
Quis putet intactum quidquam ex indagine tanta
  Veſtigatori ſit reperire modo?
Quis toties revoluta, iterum loca volvere tentet?
  Perdere eum dicas quin oleum atque operam.
Magnus Alexander ſed ridet inania vulgi
  Dicta, nec illa ſimul unius aſſis habet.
Semiſepulta ſitu remove hinc mihi rudera, Foſſor,
  Auguror; hic latet, hic, magni aliquid pretii.
Hadriacæ potiora Domus hic tecta fuiſſe
  Nonne vides, ipſis teſtibus exuviis?

Mar-

Marmoris & Parii, Tiberiidis, atque aliorum
Nonne vides paſſim occurrere teſſerulas?
Atria nonne vides quondam circumdata ſignis?
Vix puto, majores omnia ſuſtulerint.
Semiſepulta ſitu, remove hinc mihi rudera, Foſſor.
Hoc age, nam latet hic magni aliquid pretii.
Dixiſti, Vir Magne, tuis revolutaque juſſis
Rudera Centauros (13) exhibuere duos.
Sed quales, age? quos Phidiæ, quos & Policleti
Quoſque Scopæ celebres vix poſuere manus.
Formoſi huic facies juvenis, marcentis at illi
Eſt ſenis; & curſum ſemiferi glomerant.
Ceu duo nubigenæ (dicas Rhæcumque Pholumque
Nunc iterum in Lapithas approperare truces)
Deſcendunt Centauri, Omolen Othrynque nivalem
Linquentes rapide; Theſſala ſilva locum,
Quadrupedes quacumque ruunt, dat euntibus ingens,
Et virgulta gravi ſpiſſa fragore ſonant.
Huic pendent crotali, ſeptem compacta cicutis
Aſt illi pendet fiſtula disparibus.
Eximium cœlavit Opus non unicus Auctor:
Nomina clara Virum baſis utrinque refert.
Sculpſit *Ariſtĕas Papiaſque Aphrodiſæi*:
Teſtantur Græcis nomina litterulis.
Sed majora vocant miracula. Cerne lapillis
Ut picturatum ſternitur omne ſolum. (14)
Mille coloratis rutilant aſarota (15) figuris
Mille opus effinxit Muſaque teſſerulis.
Tænia circumdat flores, & poma Coronis,
Spica ſed in medio Vermiculuſque nitet.
Inſiſtunt magnum quatuor cratera columbæ (16)
Hæc ſitit, at bibit hæc; hæc venit, hæc revolat.

Quid

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS
SOCIETATIS JESU

FRANCISCO MARIÆ LACTANTIO

BENEVOLO SUO.

CULTOR Aricini Nemoris Templique Dianæ,
Et, FRANCISCE, Lacus conſcius Hippolyti,
Quas Tibi, quas, duplici reddam pro munere grates?
Das (1) Tuſcas, Latias das mihi divitias.
Per Te Dictynnæ ſpeculum mage lacte renidet,
Et purgata putri quæ monumenta ſitu.
Per Te, quæ fidibus fuerat contenta Latinis,
Gaudet (2) & Hetruſcis nunc mea Muſa modis.
Nec gemini fratres, ipſis gratiſſimus error
Patribus, aut ovum eſt ovo ita conſimile;
Ut Tua Hetruſca meis reſpondent Dicta Latinis;
Ut Patris iſte Tuus Filius ora gerit.
Macte animis. Stadio pergas decurrere cœpto.
Eſt ſuperata Tibi nam ardua prima Via.
Sic Tibi contingat ſemper bene poſſe mereri
De Puero (3), ſancte quem pius inſtituis.
De Puero, Charites quem compoſuere, Bonique
Divi, de Puero jam præeunte Senes.
Qui jam Romanæ Hiſtoriæ Monumenta recenſet,
Livium & a teneris imbibit unguiculis.
Qui (4) præclarorum ſurgit Decus omne Parentum

Unicus, atque ipſos qui decorabit Avos:
Majorumque Novis Titulos augebit Avitos,
O quantum antiquis laudibus adjiciens!
Magnus enim ſtimulis & Avunculus excitat, atque
Excitat Hunc Patrui (6) Purpura clara ſui.
Te Duce, Sirenum ſcopulos declinet acutos,
Et commune nimis naufragium caveat.
Impiger & nugis, & ſomno, & inertibus horis
Virtutis ſcandat culmina, poſtpoſitis.
Hæc modo pro dulci nos vota vovemus Alumno.
O utinam, Superi, ſint pia vota rata!
Aſt olim Grajæ Tibi credita cura Juventæ
Lactantis, & miſerum Relliquiæ Danaum,
Quos Tu, paſtor oves veluti, bona paſcua ſemper
Adduxti, exemplis per benefacta Tuis.
Relligionis opes & nunc ſacra Regna propagant
Sparſi Grajugenis (7) Sarmaticiſque jugis.
Hos imitata ſequi properat lectiſſima Pubes,
Quæ Magni auſpiciis creſcit Athanasii.
Hanc nos ad pugnam armamus; contraque Rebelles
Romanæ Sedis bella ciere viros.
Et Dolopum fraudes occulta cavere venena,
Priſca Latinorum hic exuere atque odia.
Diſperſas ut Oves unum concludat Ovile,
Concordeſque ſequi Paſtor ut unus agat.
At Te Propitium Numen fortunet, Amice,
Et referas partis præmia pro meritis.

X

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU
EPISTOLA X. TIBURTINA
AD
JOSEPHUM ALEXANDRUM FURIETTUM
PRÆSULEM, AC JUDICEM
IN ROMANA CURIA ÆQUISSIMUM
JURIS-CONSULTISSIMUM
EUNDEMQUE
VETERUM TIBURTIUM MONUMENTORUM
VESTIGATOREM SAGACISSIMUM.

JOSEPHO ALEXANDRO FURIETTO

PRÆSULI SAPIENTISSIMO

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS
SOCIETATIS JESU

Bene rem gerere.

AMphitrioniadis Colles, (1) Terra hoſpita Muſis,
  Et Nemora arboribus (2) conſita Palladiis,
Præcipites Anienis Aquæ, Pomaria rivis
  Fœcunda, æternum & pervia mobilibus,
Pampineis impoſta jugis reſonantia late
  Albuneæ (3) quondam conſcia Templa deæ,
Urbis Alexander (4) rerum ſi mole gravatus
  Ceſſerit in veſtros ſe abdideritque ſinus,
Pandite cuncta Viro vos gaudia veſtra merenti,
  Atque exquiſitas pandite delicias.
Hic Vir hic eſt vindex incorruptiſſimus æqui,
  Sancta ſuas lances cui dat habere Themis,
Quo multæ magnæque ſecantur Judice lites,
  Omne Forum cujus cedit in arbitria.
Hic, cui jura patent Divina humanaque tantum,
  Cecropio (5) quantum vix paruere Seni.
Sed Tiburtinos ſoles quotus impetrat annus?
  Quot vacuo Urbanis tempora muneribus?
Lentius, ah! Nonis Octobribus ire Kalendæ
  O nimium junctæ, Ruri (6) inimica dies.
Quæ tenet interea Tiburtia Rura voluptas?
  Prima, Forum atque Urbem poſſe videre procul.

Paca-

Pacaris vacuiſque frui tum noctibus, ullus
  Ad galli cantum quia temerare cliens
Has valeat, ſeſſumque latus dum vertere malis,
  Cogar ſollicitos te evigilare dies.
Tertia, Tiburtes auras captare ſalubres,
  Et doctis ſeſe Cœtibus inſerere.
Triſtibus & poſitis ſtudiis, ceſſante Rubrica (7)
  Carminaque, & placitas conſulere hiſtorias.
Et modo cum Lando,(8) Sancto modo cumque (9) Ca-
  Nocturna in longum ducere colloquia. (nali
Adde dolos turdis, jucundi præmia ruris
  Cancros (10) & lepores, his ſuperadde favos.
Et duplices uvas (11) pariter cum duplice ficu,
  Et ſapidum quidquid pomifera arua creant.
Non tamen excelſæ ſatis hæc ſunt otia menti.
  Scrutatur terris abdita quæ lateaut.
Præcipue Hadriaci Tractus (12) ubi rudera ſurgunt,
  Atque indeficiens continuatur Opus;
Eruta & unde olim, & nuper tot ſigna, vetuſto
  Etura & Heroum tot monumenta ſitu
Quicquid ſub terra eſt in apricum proferet ætas.
  Ante tot, ut vere, ſæcula, Flaccus ait?
Quis putet intactum quidquam ex indagine tantæ
  Veſtigatori ſic reperire modo?
Quis toties revoluta, iterum loca voluere tenrer?
  Perdere eum dicas quin oleum atque operam.
Magnus Alexander ſed ridet inania vulgi
  Dicta, nec illa ſimul unius aſſis habet.
Semiſepulta ſitu remove hinc mihi rudera, Foſſor.
  Auguror; hic latet, hic, magni aliquid pretii.
Hadriacæ potiora Domus hic ſecta fuiſſe
  Nonne vides, ipſis teſtibus exuviis?

Mar-

Marmoris & Parii, Tiberitidis, atque aliorum
Nonne vides paſſim occurrere teſſerulas?
Atria nonne vides quondam circumdata ſignis?
Vix puto, majores omnia ſuſtulerint.
Semiſepulta ſitu, remove hinc mihi rudera, Foſſor.
Hoc age, nam latet hic magni aliquid pretii.
Dixiſti, Vir Magne, tuis revolutaque juſſis
Rudera Centauros (13) exhibuere duos.
Sed quales, age? quos Phidiæ, quos & Policleti
Quoſque Scopæ celebres vix poſuere manus.
Formoſi huic facies juvenis, marcentis at illi
Eſt ſenis; & curſum ſemiferi glomerant.
Ceu duo nubigenæ (dicas Rhæcumque Pholumque
Nunc iterum in Lapithas approperare truces)
Deſcendunt Centauri, Omolen Othrynque nivalem
Linquentes rapide; Theſſala ſilva locum,
Quadrupedes quacumque ruunt, dat euntibus ingens;
Et virgulta gravi ſpiſſa fragore ſonant.
Huic pendent crotali, ſeptem compacta cicutis
Aſt illi pendet fiſtula diſparibus.
Eximium cœlavit Opus non unicus Auctor:
Nomina clara Virum baſis utrinque refert.
Sculpſit *Ariſteas Papiaſque Aphrodiſæi*:
Teſtantur Græcis nomina litterulis.
Sed majora vocant miracula. Cerne lapillis
Ut picturatum ſternitur omne ſolum. (14)
Mille coloratis rutilant aſarota (15) figuris
Mille opus effinxit Muſaque teſſerulis.
Tænia circumdat flores, & poma Coronis,
Spica ſed in medio Vermiculuſque nitet.
Inſiſtunt magnum quatuor cratera columbæ (16)
Hæc ſitit, at bibit hæc; hæc venit, hæc revolat.

Quid

Quid mihi cum puero jactes nunc Zeuxidis uvas?
  Quid mihi lineolas velaque Parrhaſii?
Ceſſit Apellèum ſæclorum dentibus olim,
  Vicit, jo! noſtrum ſæcula dentis opus.
Magne Vir, antiquis qui moribus undique fulges,
  Cui virtus priſcis ſplendet imaginibus,
Præmia digna tuis meritis antiqua vetuſtis
  Quæ tibi ſervarunt ſæcula longa, cape.
Debueras pridem violas perfundere cocco.
  Differt Roma, ſuas dat Tibi Tibur opes.
Quas colis, Aſtreæ, (17) Signis inſignibus Ædes
  Quam bene conveniunt, Vermiculoque nitent!
Quam merito quicumque Urbi novus advenit Hoſpes
  Convenit & dominum Te, & monumenta tua!
Hæc modo. Sed properant feſtera tempora, Triton
  Quæ cecinit, Siculo dum veherere mari.
Dum veherere mari Siculo juvenilibus annis,
  Legatus Venetum dum peteres Meliten, (18)
Dum Solymæorum claſſes in prælia contra
  Othomanos Venetis Claſſibus auxilia
Conjunxiſſe paras, quod protinus obtinuere
  Munmenta eloquii ponderaque alta tui,
Jactatum meminiſſe juvet Te fluctibus (19) olim
  Tyrrhenis, ſimul & fluctibus Ioniis.
Sidera dum tumidum peteret mare, dumque carinas
  Jam jam tacturas tartara nigra putes.
Antennæ & gemerent, & malus ſaucius Euro,
  Et Caurus fractis funibus inſtreperet.
Vulneribus Libycus foderet dum lintea mille
  Remigio feriens nudum & utrumque latus;
Nobilis & fruſtra veheret Te filia ſilvæ
  Pontica, & auratis puppibus alta ratis.

Na-

Navita cum ſuperos vexaret & ipſe Magiſter
  Incaſſum fuſis exululans precibus;
Hinc ſcyllæorum fremeret rabioſa canum vis,
  Inde abſorpturis fœda Charybdis aquis:
Ludibrium ventis dumque huc ferretur & illuc
  Pulſa ratis, tenebris dum fera ſævit hyems;
Quattuor aut ſeptem digitis a morte remotus,
  Tunc ſteteras quanti tæda fuit ſpatii.
Sed vicit Superos Pietas Tua, Carcere cæco
  Concluſit ventos Æolus, ira maris
Detumuit tandem, cæli de parte ſerena
  Intonuit lævum proſpera cuncta movens.
Tunc ſcopulo Triton pelagi conſedit in alto,
  Fatidicus ſortes concinuitque tuas.
Lætus Alexander, qui nunc ſalis æquora currit,
  Evadet furiis incolumis Pelagi.
Huic meritos tandem ſua Roma parabit honores,
  Longa hos quantumvis tempora diſtulerit.
Metaque difficilis ſtadii non Purpura tantum
  Huic fuerit: majora his ego vaticinor.
Evenient, Vir Magne, inſtant tua Præmia jam jam.
  Hanc mihi tu propera, Lucifer alme, diem.

XI

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU

EPISTOLA XI. TIBURTINA

AD

NOBILISSIMUM ADOLESCENTEM

JOAN. BAPTISTAM ROSPIGLIOSUM-BORROMEUM

EXCELLENTISSIMI DUCIS
ZAGAROLI
FILIUM

In Maritimo ſuo delicatiſſimo Macareſio Ruſticantem

Unde Vulpio Elegantem Elegiacam Epiſtolam miſerat

ANNO A V. P. CIƆIƆCCXXXXII.

ADOLESCENTI PRÆSTANTISSIMO
JOANNI BAPTISTÆ ROSPIGLIOSO

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS SOCIETATIS JESU

LITTERA ab Etruſco de Te mihi reddita Rure,
  Quam memor officii deproperavit Amor,
Quam Tibi dictarunt Chariteſque Novemque Sorores,
  Ingenii certe Partus Apollinei,
Ut me lætitiis cumulavit, Amice, ſubortis!
  Intulit atque animo gaudia quanta meo!
Ergo vales, noſtrique Tuo ſub pectore curam
  Abſentis ſervas uſque procul memorem?
Ante Tuos oculos & noſtra pererrat imago?
  Et deſiderii pars ego facta Tui?
Et Tibi ſqualet ager ſine me, Tua Rura voluptas
  Sordent pene Tibi me reputanti animo?
Hoc ſatis: ultra etenim vel plura (1) laceſſere Divos
  Qui poſſim tanta dives amicitia?
At Tu Romulidum Decus & Stirps vera (2) Parentum
  Antiquis titulos addere perge novos.
Et quamvis Summa ducas Inſigne Tiara (3),
  Inclytum & exornet Purpura (4) multa Genus;
Tu tamen hæc aliena puta niſi, quid Tua Virtus
  Fumoſis proprium ſubdat imaginibus.

Nec

Nec Tibi, ut Aſcanio, tantum ſit Troia (5) Ludus,
Aut bijugis currum, aut ducere quadrijugis.
Aut choreis noctes vigilare, vel alea pernox
Delicium fuerit curaque prima Tibi.
Ad populum phaleras manda, plauſus & inanes;
Virtutis veris dita animumque bonis.
Pectore nunc puro, Juvenis, nunc adbibe verba
Doctorum, Sophiæ nunc cape lætus iter.
Optima (6) dumque dies ſurgentis Te tenet ævi;
Utere, nec vacuam, nec ſine fruge ſinas.
Virtutem cole cum primis. Quid (7) multa? pudicus
A teneris Animus turpia deſpiciat.
Sit pius in Superos; Majoribus obque ſecundet;
Comis in Æquales, ſubdita ſueve regat.
Ocia quantumvis capies modo dulcia Ruris,
Ne frangant Animos ocia lenta Tuos.
Sed Tibi ſint ſapiens muta & Rura ipſa Magiſter;
Rure Tuo factus ſanior huc redeas.
Seu (8) viride adſpectas Regalibus Ædibus æquor,
Adſpicis ex illis ſeu mare cæruleum,
Tunc ſubeat: *fœnoque marique ſimillima vita eſt*
Noſtra, virenſque brevi, naufragiiſque patens.
Quam colis Etruſci vaſtam modo Littoris oram,
Quot Populis quondam culta, Superba fuit? (9)
Nempe *Fregenarum* (10) Urbe iſthic, *Bebiana* (11) fuiſſe
Mœnia, cum (12) *Loria*, cum (13) *Statuis*, perhibent.
Alſium & (14) antiquo ornatum cognomine Portu
Alſietina (15) ſuæ nomina fecit Aquæ.
Nec procul hinc (16) *Ceræ-Veteres*, fundata vetuſto
In ſcopulo ſedes, Urbs & *Agylla* (17), Tibi.
Vejentum hinc quonda Tuſcis Urbs maxima (18) *Veji*,
Romanis Trojo (19) longior ille Labor.

Hic

Hic quondam *Cremeræ* (20), Fabiorum infamia, flumẽ.
Oppidaque antiquo (21) tot celebrata Lare.
Parte alia bifidus (22) Tibris Tyrrhena laceſſens
Æquora, de Portu triplice (23) clarus erat.
Ulpius (24) interior dextrũ; ſed *Claudius* (25) ante hunc,
Lævum muniban (26) *Oſtia* Regis Opus.
Aſt ultra ſtæc (27) Latium; Lavinaque Littora bellis,
Deſcenſu (28) & Phrygii nobilitata Ducis.
Omnia ſed fuerunt. Ipſæ periere ruinæ.
Hiſtoriis ægre eſt, tanta fuiſſe, fides.
Ardea, (29) quæ Turni, *Laurentum* (30) Regna Latini,
Qua (31) veſtris poſita eſt Autex Sella Foris,
Occulcant catuloſque feræ (32), tutumque cubile
Præbent, qui obruerunt mœnia celſa, rubi.
Scilicet abſumſit, quod conterit omnia, tempus,
Et longa extinxit ſic decora alta dies.
Si pereunt & Regna igitur, moriuntur & Urbes,
Mors etiam ſaxis nominibuſque venit:
Quid vano tumeat periturus homuncio (33) flatu?
Deliciis nimis & geſtiat occiduis?
Quin potius ſurſum tantum immortalia ſperat?
Quin parat æternum non peritura bona?
Hæc Cæli, Terræque Liber, mi dulcis Amice,
Vel ſolo intuitu Te docuiſſe potis.
Novimus iſta tamen quænam ſint gaudia, veſtro
Quod cælo ingenium eſt, ingeniumque ſolo.
Nunc quamvis ſacra (34) nos cõpede Roma moretur,
Viſimus aſt olim Rura *Micarelii*.
Impoſitos veſtris vidique *Aurelia* mannis
Nos *Via*, quæ *Guidi Caſtra* ſiniſtra ſecat.
Atque humilis nobis potis eſt tranſmiſſus *Aronis*,
Qui ad *Turrim* tacitas in mare volvit aquas.

Al-

Alma dies Veneris menſem findebat Aprilem,
Cum ſubii fauſto Regia Tecta pede.
Undique divinæ, atque ampla ac pretioſa ſupellex:
Omniaque a vultu ſunt cumulata bono.
Tunc mihi ſum DIVUM menſis accumbere viſus,
Sumere nectareas ambroſiaſque dapes. [TER;
Stant circum GENITORQUE TUUS, TUAQUE INCLYTA MA-
TU, CUM GERMANO, ET FRATRE QUATERNA SOROR.
Tum *Corradinus* (35) *Princeps*, *Lercarius* atque,
Lectus Romulea & plurimus Urbe comes.
Hærebat laterique meo *Burgundus* (36) *Heros*
(Injecit Socio, heu! Parca inopina manum.)
Hic me præ reliquis Genitis ſpes prima CAMILLUS (37)
Immeritum viſus mille fovere modis.
Sæpius ipſe ſua miſit mihi munera quadra,
Et ſubiit noſtrum ſæpius ipſe larem.
Ipſe regens (38) mannos *Turrim* me viſere *Petræ*
Adduxit, tumut (39) hoc Automedonte diu.
Innumera atque armenta boum, ditiſſimi equarum
Pone greges veſtri, ſtagnaque (40) viſa mihi.
Caſtra (41) *Palidori*, vetera (42) & monumenta, Ruinæ,
Et nova viſa etiam ſunt tua Caſtra, *Palus*.
Quacumque adſpiceres, Cornu bona Copia pleno
Viſa eſt immenſas fundere Ruris opes. (43)
Quid memorem veſtris ſaltus venatibus aptos,
Unde onerat menſas plurimus Urbis aper?
Grata quid aucupia, & quid coturnicibus Agros
Undique confertos, ſæva ubi ceſſit hiems?
Vicino & ſapidos, quos vertit ab æquore, piſces,
Instructa aſſiduis plurima cymba dolis?
Quidve ipſum mare velivolum, quod mille carinis
Sulcatum longo tramite proſpicitis?

Deni-

Digitized by Google

Denique jure Locum Grati dixere *Beatum* (44)
Hoc Tua, *Macareſi*, Nomina namque ſonant.
Eſſe beata tamen nunquam terreſtria ab omni
Parte queunt. Dulci ſemper amaror ineſt.
Sic & deliciis veſtris offunditur aer,
Frigora ſi ceſſent & gravis, & nocuus.
Hunc videas ſpiſſas tetrum ſudare lacunas,
Et capiti, & ſtomacho indicere bella Tuo.
Heu fuge morboſas terras, fuge littus iniquum.
Hoc iterum, redeat cum nova bruma, petes.
Tiburti interea melius quæ proxima *Cælo*,
Dum vernant flores, *Rura Gabina* (45) ſubi.
Ut tandem nitidum Te *Regia Celſa* (46) *Quirini*
Accipiat, reducem viſere noſque juvet,
Cum *Doctore Tuo* (47), tiſic cui dextet Apollo,
Quem Comites Muſæ, & Pallas amica, fovent.
Sed propera. *Gemini* (48), precor o, compellite ad Urbē
Vos *Carum*, ſemper qui mihi ſerus erit.

FINIS LIBRI SECUNDI.

155

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU
EPISTOLARUM TIBURTINARUM
LIBER TERTIUS

Hendecaſyllabis exaratas concludens.

I.

ANGELO MARIÆ QUIRINO

CARDINALI AMPLISSIMO

OLIM CORCYRÆO NUNC BRIXIANO ANTISTITI MUNIFICENTISSIMO.

Pro aureo ſuo *De Primordiis Corcyræ* dono accepto Libro

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS
SOC. JESU

*EUCHARISTICON.**

QUIRINE o, Decus Hadriæ, repoſtæ
Archææ (1) Pater Eruditionis;
Non tot Alcinoi fuere in Hortis,
Quos Corcyra ſinu beata quondam
Fovit, Deliciæ; quot in Libello,
Quem miſti mihi munus, aureo iſto
Sunt flores nitidique candidique:
Vel gemmæ potius; reconditique
Theſauri innumeri Elegantiarum.
Non ſic Nauſicaæ manus virentes
Eſt Hortos populata; ut inde patri
Donum, faſciculum domum referret
Florum verſicolorum, odore, cultu,
Vincentem Heſperidum beata rura;
Ut Tu mellificas apes ſecutus,

Ar-

Argivos veteres, ſimul Latinos
Auctores populatus, inde Succi
Eſt quidquid melioris, ebibiſti.
Unumquemque ſuis locanſque cellis,
Favis aurea mella depluiſti.
Et fucos pecus improbum repellens
Ignavumque loco, albicante cera,
Et ſolis nitidam ferente lucem,
Poſt tot ſæcula tam tenebricoſa,
Nunc *Primordia* clara reddidiſti
Corcyræ, lacrymis adhuc madentis,
Flentis turgidulis, miſellæ, ocellis,
O Paſtor Bone, de Tuo receſſu.
Quare tanto ego munere obligatus,
Gratias Tibi maximas referre
Impos, atque agere; attamen perennes,
Dum vivam, memori has habebo mente.
Tu pergas minimum omnium Clientum
Me patrociniis Tuis juvare.
Sic Tibi Deus Optimus, Patrone,
Det quæcunque rogaveris, benigne.
Tandem ſic Homines Tuæ Supremæ
Virtuti referant pares honores!
Quirine o, Decus Hadriæ, repoſtæ
Archææ Pater Eruditionis.

❀ ❀ ❀

II.

ANGELO MARIÆ QUIRINO
CARDINALI AMPLISSIMO
BRIXIANÆ URBIS ANTISTITI AMANTISSIMO
MUNIFICENTISSIMO

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS SOC. JESU
Pro Volumine *De Brixiana Litteratura* ſibi donato
*GRATIAS IMMORTALES.**

MAGNI MAXIME PASTOR, o QUIRINE,
ET CUSTOS GREGIS; omnibus fovere
Quem Tu deliciis amas, modiſque
Illuſtrem omnibus, inclytumque ubique,
Inſignem facere uſque, & uſque pergis;
Hos mihi lepidiſſimos Poetas,
Scriptorum & reliquos habere donas,
Olim Brixia quos tulit Beata;
Cum poſtliminio, prius repulſæ,
Fauſto ad nos pede Litteræ redibant.
Fortunata nimis, nimis Beata
Vere Tempora, quæ ſuos Catullos,
Tibullos, & Horatios, ſuoſque
Marones genuere, Tullioſque!
[Nam me Flaminii (1) juvat venuſta
Hos Muſa celebrare nunc lepores.]
Poſt tot ſæcula, torque poſt tenebras,
Tot poſt Auſoniæ graves ruinas,
Tanta Lumina tempore uno in una
Tam Brevi Regione Brixiana

Ot-

Oriri potuiſſe ? quæ vel ipſa
Sola, barbarie queant fugata,
Priſcum reddere Litteris Latinis
Splendorem, veteremque dignitatem!
Salvete, o Decus, o perennis ævi
Veſtri Gloria, Candidi Poetæ,
Scriptorum, & reliquum Chorus, Quirino
Qui Parente velut, novas in auras
Lucis conſpicui magis rediſtis.
Vos, & Carmina Veſtra ſempiterno
Urbes Italiæ colent honore.
Vos & Gallus, Iberque bellicoſus,
Et Germania docta, Sarmatæque,
Et Gentes Batavæ remotiores
Mirabuntur, & ultimi Britanni,
Erit dum Latiis honos Camœnis.
At te (2) Brixiadum decus, Quirine
Musarum, Pater, atque Restitutor,
Qui me munere tam bono beaſti,
Mecum ſæcula nulla conticebunt.

AN-

III.

ANGELO MARIÆ QUIRINO
S R E CARDINALI AMPLISSIMO
JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS SOC. JESU

Pro Vindiciis PAULLI II. *Romani Pontificis in Vaticanis Comitiis elaboratis An. Sal.* MDCCXL. *ſibique Tibur dono miſſis*

GRATIAS.

Diſertiſſime Præſulum, QUIRINE,
Quot ſunt, quotque fuere Purpurati,
Quique poſt, aliis erunt in annis;
Gratias Tibi maximas SECUNDUS
PAULLUS BARBUS agit, perenne in ævum
Nuper VINDICIIS TUIS renatus.
Per TE Callimachique, (1) Platinæque,
Pomponj, & reliqui canes, Averni
Peſtes Pontificem Optimum inſecutæ,
Poſt tot ſæcula, totque poſt latratus,
Tot poſt vulnera, tabidoſque morſus,
Fel, crudele venenum, obaruere.
Oſor hactenus ille litterarum,
Quod minus foret ipſe litteratus,
Gemmarumque ſiti febriculoſa
Laboraſſe habitus, voluptuoſi
Tantum putidulo placens popello
Circi plauſibus, hic putatus uſque
Et ventri atque gulæ obſecutus eſſe,
Tot, per TE, maculis, QUIRINE MAGNE,
Tot, per TE, nebulis modo abſolutus,
Orbi oſtenditur ore tam nitenti,
Ut nec Lucifer ipſe mane ſurgens,
Nec Sol adveniens decore tanto,
Nocturnis tenebris prius fugatis,
Effundat radios nitentiores.

Livor, rumpere! Litteratus ipſe
Paullus Barbus amaſſe Litteratos
Jam deprenditur; Inclytæque Stirpis
Ortus germine, grandia aſſecutus,
Non ſe, at Pontificem, nitente gemmis
Exornaſſe Tiara: inutileſque,
Damnoſaſque ſimul, ſinu remotas,
Bene e femineo, ſacraſſe Summi
Paſtoris Capiti inde margaritas.
Livor rumpere! (2) Paullus Barbus idem
Prudens, Munificus, Pius, Benignus,
Caſtus, Sobrius, Optimæ notæque
Inter Pontifices locandus ultro,
Quirino tenebras fugante Magno,
Claret luce magis meridiana.
Doctas vindicias tegent tenebris
Nulla Sæcla: micabit omne in ævum
Paulli ſic Decus inclytum Secundi,
Ut pulchro irradians Eous igni.
At Te, munere qui novo beaſti
Tiburtem Unanimis Tui receſſum,
Amœnaſque clienculi latebras
Amœnas magis inde reddidiſti;
Qui Conclave latendo Vaticano,
Non unum, at duplicem, Bonis dediſti
Nuper Pontificem Optimum; ſecundet
Numen Propitium, impleatque cuncta
Sic, quæ Vota facis, perenne in ævum,
Erunt Vindiciæ ut Tuæ perennes;
Quot ſunt, quotque fuere Purpurati,
Quique poſt, aliis erunt in annis,
Diſertiſſime Præſulum, Quirine.

AN-

IIII.

ANGELO MARIÆ QUIRINO CARDINALI AMPLISSIMO, BRIXIANÆ URBIS ANTISTITI MUNIFICENTISSIMO

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS SOC. JESU S. P. D.

Nuper, EMINENTISSIME PRINCEPS, certamen erat Corydon cum Thyrſide magnum. Pro Urbe Roma de QUIRINO SUO decertante, illumque repoſcente ſtabat Corydon. Pro Brixia retinente mordicus, Thyrſis. Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo, & cantare pares, & reſpondere parati. Alternis igitur contendere verſibus ambo cœpere; alternos Muſæ meminiſſe volebant. Hos Corydon, illos referebat in ordine Thyrſis.

Urbs Roma ad Brixiam Urbem de Eminentiſſimo ANGELO MARIA CARDIN. QUIRINO ejus Antiſtite.

FELIX, Brixia, ter quaterque Felix!
Parum hoc eſt, deciesque centiesque!
Eſt parum hoc quoque, millies beata!
Felix, Brixia, & abſque fine Felix!
Non quod tot populoſa Te arva cingunt,
Et Valles riguæque fertileſque,
Certamen Cereris quibus, Lyæi,
Pomonæque ſimul, quibus Minervæ eſt:
Sebinive Lacus (1) quod ambit unda hinc,
Benaci (2) hinc, fremitu Marino adaucta,
Campos, mœnibus aut ruis oberrat
Hinc quod Ollius, hinc & inde Mela, (3)
Amœniſſima culta qui propagant:
Florens Ingeniis Virorum & armis
Non quod clara, potens, Decus fuiſti

Clararum Inſubriæ una Civitatum:
Aut quod Templa tenes, Vias, & Urbis
Moles nubibus arduis propinquas,
Ornatas opibus, nitore, cultu,
Quo ſolent Dominæque Regiæque
Urbes: Te licet augeant Fodinæ
Tam dites; nimio & ſuperba ferro
Sis, quod Mulciber uſque in officinis
Mollit plurimus, excoquit, liquatque,
Longoſque in calamos trahit rigatos, (4)
Quos bellis adhibentque Mauri, & Indi
Ipſi atque Antipodes magis remoti;
Te haud, hoc, Brixia, dicimus beatam.
Felicem ſine fine prædicamus,
Non quod ferrea, Brixia es; beatam,
Sed quod, Aurea Sæcla, qui reduxit
In Te moribus Aureis, Boniſque
Florentem Artibus extulit, dieſque
Te amat tollere ſingolas & horas,
Magnum Præsulem habes tuum Quirinum.

V.

Reſpondet Brixia Romæ.

Magnum Præsvlem habens meum Qvirinvm,
Felix jure vocor, magiſque Felix
Quam quod ſim reliquis bonis beata.
In me *Hic* Aurea Sæcla ſuſcitavit
Sanctis moribus artibuſque doctis;
Paſtor Forma (1) Gregis ſui benigne
Factuſque ex animo, vigil, tuenſque

Cau-

Caulas perpetuo diu atque noctu.
Non *Hic* prætrepidus caſarum agreſtum
Alpinas pedibus nives obire:
Æſtus haud timet, haud timet rigentis
Stridentiſque hiemis feras procellas.
Hic, Nilus velut, arua qui Canopi
Et Phari rigat, in beata rura
Exundat quoties aquis, hiulcos
Campos alluvie occupans feraci,
Omnis ridet ager, refertque Meſſes;
Fugit dira fames, fugitque egeſtas;
Vaſta ſic GREGIS alta dum QUIRINUS
Aſcendit juga, Vallumque ad imos
Fert ſeſe impavide invios receſſus,
Rideat omnia: deque Liberali
Et de Munifica manu reſurgunt
Squalentes modo pallidæque turbæ.
Hic vultus (2) ſimul exerit Paternos,
Et lætus Populis dies; nitentque
Jam ſoles melius, domi cachinnorum-
-Eſt quidquid,(3) movet excitatque plauſus.
Hoc præſente mihi, omnibus venuſta
Rura denique gaudiis redundant.
Felix jure igitur, magiſque Felix
Quam quod ſim reliquis bonis beata,
Felix Brixia prædicor, PARENTEM
MAGNUM PRÆSULEM HABENS MEUM QUIRINUM.

Re-

VI.

Roma iterum Brixiæ.

SED jam Munifica Benignitate
Ditata es ſatis & ſuper Quirini
Felix, Brixia. Redde jam Parentem
Urbi Romuleæ ſuum petenti.
Romæ Depoſitum refer, nec ultra
Differ. Roma ego ſum. Meus Quirinus.
Sedes, denique, Collis hic Quirini (1) eſt.
Romam, Brixia, provocare (2) noli.
Nec perdes tamen, at fovere perget
Septem ex Arcibus, ut fores propinqua,
Te, præſens velut; arduus velut Sol
Terras lumine proſpicit remotas,
Nec calore fovet minus propinquis.
Orbis *Hunc* petit Univerſus. Urbi
Redde, Brixia, Romulæ Quirinum.

VII.

Brixia Romæ.

IN quemquam cadit (1) heu ſcelus ſceleſtum,
Heu tantum ſcelus! ut mihi meus Sol
Vita & Spiritus, unde cuncta noſtræ
Urbi proveniunt, fatente Roma,
Te fatente quidem, ſed invidente,
Abſcedat procul? heu ſcelus ſceleſtum!
Quis hoc ſuſtineat? pati quis (2) unquam

Hoc

Hoc poſſit? rapiare, Magne Paſtor,
Tun' Mihi, ut patiar? quis hoc, quis unquam
Nefas dicere, cogitare quivit?
Edico Tibi, Roma: provocare
Me jam deſine de meo QUIRINO:
Nam nil proficies; nec impetrabis,
Hunc Sponſum thalamis meis dicatum,
Paſtoremque Gregi meo, amovere.
Quare, deſine, Roma, provocare.
Eſto ſat Tibi ſingulos in annos
Sacris Liminibus (3) quod excolendis
Bis, incommoda negligens viarum,
Te Romam, properat, videre NOSTER.

VIII.

Roma denique Brixia.

AT, AT: negligimur? nec impetramus?
„Terrarum Dea, (1) Gentiumque, Roma,
„Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum?
Adeſte Hendecaſyllabi quot eſtis,
Omnes, undique, quotquot eſtis, omnes,
Et Rerum Dominam, inſciam repulſæ,
Vindicate. Meum refer QUIRINUM
Sponte, Brixia, ne coacta reddas,
Romam, Brixia, provocare noli.
Romæ redde libens ſuum QUIRINUM.
Surdis auribus obſtinata pergis?
Hunc, quem Depoſiti loco abſtuliſti,
Me invita Domina virum tenere?
Inconſulta facis, tuoque damno:

In-

Inſtant namque tibi pericla ſumma;
Et ſero monitis meis dolebis,
Autem haud applicuiſſe. Namque tempus
Felix approperat, nec eſſe longe
Jam quit læta dies; Meus QUIRINUS,
Qua ſeptem Dominos videre Montes
Summa ſede ſedens, Quinciumque
Præcinctus triplici Caput Tiara,
Cœptet jam ſtabilis, nec inquilinus.
Flebis, Brixia, tunc, miſella, flebis
Abſentem, potius vel invidebis.
Gaudebit Pia Roma reſtitutum:
Quin ORBIS quoque geſtiet PARENTEM
COMMUNEM *ſibi redditum* QUIRINUM.

. . . .
. . . .

Hæc memini, & victum fruſtra contendere Thyrſin.
Ex illo Corydon, Corydon eſt tempore nobis.

Sic in obſequium Romæ Optatiſſimi Principis Bianoi Cranêus Paſtor Arcas, hoc eſt Joſephus Rocchus Vulpius Societatis JESU Romæ Idib. April. An. A.V.P. 1739.

ALE-

IX.

ALEXANDRO LOPEZ
PRÆCLARÆ INDOLIS ADOLESCENTI
BIANOR CRANEUS P. A.

De Elegantiſſimis Elegis elegantiſſime recitatis Gratulatur.

JUCUNDE, unanimis, venuſte Amice,
ALEXANDER, (1) ad exitus ſecundos
Rem tam commode & apte, & expedite
Duxiſti; ut videare doctus artem
Dicendi, Aonio Novem Sororum
Ab Cœtu; ut Charites, Bonique Divi,
Et Phœbus Pater, atque amica Pallas
Te jactare ſuum queant Alumnum.
Tu doctos Elegos, pares Tibulli,
Naſoniſque Elegis pares, Catulli
Quos nec Muſa ſibi dari recuſet,
Majeſtaſque ſuos velit Propertj,
Auditus recitare, pol! diſerte es' (2)
Feſſis quale ſopor virente in herba,
Rivo quale ſitim levare in æſtu,
Carmen tale Tuum, elegans Poeta,
Defluxit bibulas coronæ in aures.
Sed diverſus ego, nimis moratus
Dum Tiburte ſolo, Tuos omiſi,
Amiſi pariter miſer lepores.
Emendare volens male aſt omiſſum,
Dextram continuo adprobationem,
Paucos Hendecaſyllaboſque mitto,

Pignus qui Tibi ſint perenne amoris,
Omiſſæ vice Gratulationis.
Hos Balnus (3) legat, ille Balnus, opto,
Tam bellos Elegos, & Elegantes
Qui ſcripſit, dedit & Tibi canendos.
Et me gratum, ut amat, velit Sodalem
Ruiſum Carminibus ſuis beare.
At Tu quidquid id eſt ineptiarum,
Quod mitto Tibi Cranens (4) Bianor,
Poſt Tuos, precor, Optimos Sodales,
Ne prodire ſinas in ora Volgi,
Sic Pindi (5) juga ſumma poſſidere,
Sic Tullj Eloquium meique (6) Livj
Det Phæbus Tibi, carmen & Maronis,
Jucuude, unanimis, venuſte Amice.

X.
P. ANGELO CALOGERA'
EX B. ROMUALDI URBANA CONGREGATIONE,
Opuſculorum Philologicorum, Editori ſolertiſſimo.

Solers Angele, (1) Diligens, Diſerte,
Edamus bona Opuſcula, & juvemus.
Rumores Juvenum, & loquaculorum
Omnes unius æſtimemus aſſis.
Ede Opuſcula mille (2), deinde centum,
Et mille altera, dein ſecunda centum,
Addam & tertia mille, deinde centum.
Dein cum millia multa fecerimus,
Perennabimus illa ſempiternum,
Ne quis improbus invidere poſſit,
Cum tantum ſciat eſſe Opuſculorum.

AD

XI.

AD MARCELLUM CRESCENTIUM
ROMANUM ADOLESCENTEM NOBILISSIMUM

SACRI LIBELLI DEDICATIO.

CUI dono, petiris, ſacrum Libellum,
Qui rider, nitet, & cornſcat auro?
CRESCENTI, (1) Tibi, namque digniorem
Haud ſperem reperire Te, Libello.
Te, MARCELLE, Liber videre geſtit,
Et vult luminibus Tuis videri.
CRESCENTI, lege, ſed precor, libenter
CRESCENTI, lege, ſed frequenter, opto.
CRESCENTI, lege, corde ſed parato.
Hunc Tu ſi bibis intimis medullis,
Eſt hic reddere Te potis Beatum.

XII.

AD COSMUM DE ANGELIS
SEMINARII ROMANI CONVICTOREM,

Dum illi Elegos Beato ALOYSIO GONZAGÆ inſcriptos traderem recitandos.

QUOD nec Fratris amore, nec Sororis,
Nec charæ mihi Patriæ, aut Parentum;
Quod nec per genium meum rogatus
Feciſſem, Tibi protinus petenti
Scripſi (1) COSME, Elegos, ut imperaſti,
Longos (Juppiter) & laborioſos!
Hos doctæ recites velim Coronæ
Sic ut non minimum placere poſſint.

Haud ægre facies ; modo (2) ALOYSJ
Si quæ nomine vota lacrymaſque
Exponis, lacrymas putabis eſſe,
Queis lenire velis Tuos Parentes,
Ut, quo TE quoque novimus teneri,
TE deſiderio Tuo relinquant.

XIII.

CAROLO MANDOSIO S. J.

ELEGIARUM SCRIPTORI EXIMIO ELEGOS MITTIT.

VOS rudes, Elegi, & nihil politi,
Audetis CAROLI (1) ſubire dextram?
Neſcitis, celebris manus Poetæ,
Ut Naſone magis, magis Tibullo
Cenſura rigidæ, graves litura
Sint, dum Carminibus ſtudent legendis?
Scimus. Sed CAROLI manus ſubimus
Ut docti poliamur a Poetæ
Stylo, ne pudeat palam videri.
Nos, Tu, Caſtalidum Decus Sororum
Natos de ſterili Parente verſus,
Vates ſuſcipe dignior Corona.
Tu nos, CAROLE, debiles alumnos,
Si infelix pater obfuit, juvabis.

❦ ❦ ❦

JO-

XIV.

JOSEPHI ROCCHI VULPII E SOC. JESU AD CL. V.

FRANCISCUM BENALEAM

DE MARCO FUSCARENO SENATORE AMPLISSIMO,

Cum is Venetus Ædis Divi Marci Procurator Meritiſſimus ingrederetur.

HANC Creſſa, Charites, Bonique Divi,
Et Phæbus pater, & Minerva ſignent
Albicante nota diem venuſtam!
Hanc diem niveam & nimis beatam,
O pulcherrime Sol, morante curru,
Producas mihi luce ſempiterna!
Ridete, o Hadriæ intimi Receſſus,
Et quantum eſt hominum venuſtiorum,
Nunc plauſus date: plauſibuſque veſtris
Catni littora ſentiant ſonare,
Atque Hiſtri, Illyriique, Dalmatæque,
Epiros, Dolopes, Corinthos, Andros,
Ægæum, Ionium, ultimique Thraces,
Imum Seſton ad uſque, ad uſque Abydon.
Muſarum Decus Ille FUSCARENUS,
Suadæ Gloria FUSCARENUS Ille,
Refert promeritis pares honores.
En ut purpurea rubens abolla
Sancto Concilio Patrum reductus
Urbe ex Romulea ad ſuos penates,
MARCUS (1) ingreditur velut Sacerdos,
Procurare dedit cui Senatus
Supremum Patriæ Sacrumque Limen.

Fe-

Felix Patria, ter quaterque Felix,
Centies, Patria abſque fine Felix!
Jam non Mæonidem invidere Achilli,
Æneæve velis ſuum Maronem,
Magnum aut denique Livium Quiriti,
Si Marcus Tua Geſta Poſterorum
Parat temporibus perenne in ævum
Victuris modo conſecrate chartis.
Qualis ille Tibi, Beata, fulget,
Et quantus nitet! at refulſit olim
Quantus (2) Vindobonæque Cæſarique!
Urbi (3) Romuleæ deinde quantus!
Vos, Vos (4) Arcadiæ mei Sodales,
Tiburtes (5) quoque Tuſculique Cœtus,
Quos tot colloquiis ſuis beavit,
Et quos aureo ab ore penduloſque
Defixoſque motatus eſt, dieſque
Somnique immemores ad uſque lucem;
Vos, Vos dicite, quantus Hic refulſit.
Vos majore tubaque, viribuſque
Valentes melioribus, ſonate.
Aſt ego Hendecaſyllabos trecentos,
Et quot ſunt, licet advocare coner,
Impos ſim tamen, obruarque laudis
Magna mole Tuæ, opprimarque totus,
Patrone Optime, Marce Fuscarene,
Heroo bene vix canende plectro,
Auſit tibia ſi puſilla noſtra
Te ad cælum lepido vocare verſu.
Te, (6) Benalea, dulciore Muſa,
Teque (7) *Parrhaſium Nemus* ſuorum,
Doctis carminibus ferent ad aſtra.

AN-

XV.

ANGELO MARIÆ QUIRINO
S.R.E. CARDINALI AMPLISSIMO,
VATICANÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTO AMANTISSIMO VIGILANTISSIMO

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS SOC. JESU

Pro ingenti ſuo, & docto Volumine Commentariorum in Epiſtolas Franciſci Barbari Veneti Senatoris Eruditiſſimi ſibi donato.

ECCUJUS tot Epiſtolas Volumen
Altæ mentis Opus, manuſque doctæ
Claudit? tot ſeries negociorum,
Tot rerum Hiſtorias domi foriſque
Geſtarum memorans, tot & revelans,
Dono quod mihi das, QUIRINE MAGNE,
Eccujus? legeſis (reponis ipſe)
Noſtrum, quem tibi prævium Laborem,
Allegavimus, omnia & tenebis.
Pol factum bene! pol, Labos venuſte
Culta o BARBARIES mei Patroni!
Si Te BARBARUS ipſe ſuſcitatus,
Ad nos unde negant redire quemquam,
Læto ex Elyſio redux videret,
Ut Te ſuſpiceretque, ut & probaret!
Suas delicias, ſuos amores
Ut Te continuo in ſinu teneret?
Te ſuis tenebriſque fulguraſſe
Tantum Phoſphoron, ut ſibi placeret!
Tam ſcite graviterque & erudite,
Tamque apte appoſiteque & eleganter,
Hoc Volumine ſingula explicantur,

Non

Non pote ut meliora protuliſſe,
Ad mentem magis & ſuam locutum,
Si ſe Barbarus explicaſſet Auctor.
Jure plaude Tibi reductus ad nos.
Tanto, Barbare, clariore cultu,
Et tanto facie nitentiore.
Te exhinc ſuſpiciam, virorum & inter
Clarorum magis, & magis diſerte,
Te ſubſellia prima collocabo.
Nec multos tibi præferam Sodales;
Qui Te hoc lumine reddidit coruſcum;
Uno ſed mihi ſis minor Quirino.

XVI.

MARIO COMPAGNONO MAREFUSCO

PATRITIO MACERATENSI,

Præſuli in Romana Curia & Aula digniſſimo,
JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS SOC. JESU
Natalem Diem XI Septemb. MDCCXLI. fauſtiſſimam apprecatur.

ASCLEPIADEI.

Mirabar ſolito candidior dies
Surgens mane novo quod mihi fulgeret;
Quodque hieme in media Sol melius nitens
Deterſis propere ſplendidior rotis
Lucem hanc lætitiis undique ſpargeret;
Geſtirentque meo Gaudia pectore
Sole & more novo: denique quod domi
Feſtis concinerent omnia plauſibus.
Miranti at ſubito Delius adſtitit,

Et

Et juſſit ſolitum ſumere barbiton,
Qui dudum tacito ſorduerat ſitu,
Læta hæc me increpitans carmina dicere:
Salve, Feſta Dies, quæ MARIO * prior
Vitæ contuleris lumine perfrui;
Eductum gremio divite de domo
Vultu prima tuo quæ Puerum fovens,
Ornandum Tribus hunc tradere Gratiis
Viſa, & ut facerent Delicium ſuis.
Romæ dein Dominæ quod Patriæ fuit.
At mox ad Populos longius abditos
Virtus, Integritas, Juſtitiæ tenax
Cultus, ut MARII nomina proferant.
Seri, Læta Dies, inſcia luminis,
Nullæ Te tenebræ obvolvere ſquallido
Velo umquam valealeant, vindicibus meis
Semper carminibus, dulce meum Decus
Quæ MARIUM recinent tempora in omnia:
Natalique ſuo ſemper amabili,
Solemnique mihi pene magis meo,
Feſtam ſemper agent Te, & celebrem Diem.
Parcæ, fila meo ducite candida
Vos ſemper MARIO tempus in ultimum:
Dexter (Te petimus) ſemper ades Deus;
Noſtri Vota libens ſuſcipe pectoris,
Quæ NATALE MARJ præſtat amiculus.

❦ ❦

XVII.

EIDEM CL. VIRO
MARIO COMPAGNONO MAREFUSCO,

*Item ejus Natali Die, cum Auctor Libellum *Centum antiquarum Inſcriptionum a ſe editum munuſculum mitteret, mutuatum ex Horatii Od. 8. l. 4. Aſclepiadei.*

DONAREM *Paterae, grataque commodus,*
COMPAGNONE, *meis æra ſodalibus;*
Donarem Tripodas, præmia fortium
Grajorum; neque Tu peſſima munerum
Ferres, ne divite ſcilicet artium,
Quas aut Parrhaſius protulit, aut Scopas;
Hic ſaxo, liquidis ille coloribus
Solers nunc hominem ponere, nunc Deum.
Sed non hæc mihi vis, non Tibi talium
Res eſt, aut animus, deliciarum egens.
Gaudes carminibus: carmina poſſumus
Donare, & pretium dicere muneri.
En inciſa notis marmora publicis,
Per quæ ſpiritus & vita redit bonis
Poſt mortem Ducibus, nunc Tibi mittimus,
Natalique Tuo, Nominis & die.
Quem lætus peragas, auguror hoſpites
Inter mille Tuos, hos epulis bonis
Atque hos alloquiis dulcibus aggregans.
Horum vota, MARI, certat amiculus
Complere, & Superos ſic Tibi candidos
Exoptat, veluti vult ſibi proſperos.
Servent Te incolumem tempus in ultimum,
Et donent meritis floridum honoribus:
Sumptas poſt violas continuent Tibi
Romanæ (evenient) tempora Purpuræ.

XVIII.

MARCH. ROBERTO TIBURTIO LASCARIS,

EQUITI HIEROSOLYMITANO, ET CONSTANTINIANO,

Egregio, & optime morato Juveni,

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS SOC. JESU

TIBURTI omnibus e meis amicis
Jucundiſſime, mel merum, Lepoſque,
Muſarum Decus, oſque Gratiarum,
Oro, des veniam Tuo Sodali,
Si nunc ſerius atque debuiſſem
Meis verſiculis (nec invidero)
Te Tiburtibus inſero legendum.
Nomen ſemper in ore nam ROBERTI
TIBURTJ meminiſſe me vetabat.
TIBURTI, bona jamque pars mearum
TIBURTUM venias Epiſtolarum.
Quamquam LASCARIOUM * genus parentum,
Et regum ſeries potentiorum,
Et duplex Equitum decus coruſcum
Te exornent, licet Inclytumque reddant,
Sanctis moribus attamen renides,
Ornariſque magis, magis coruſcas.
Perge, macte animis, viaque cœpta,
Qua ducit pietas, ſequare ſemper.
Sirenûm ſcopulos, voluptuoſis
Vita Syrtibus intimas paludes.
Sic ſemper Charites, Bonique divi
Te lætum, ut faciunt, fovere pergant!

XIX.

AD COMITEM
JOAN. BAPTISTAM CAMUTIUM
S. PRÆCLARISSIMÆ AQUILEJENSIS ECCLESIÆ DECANUM

DE
WENCESLAO CAROLO S. R. I. COMITE PURGSTALL
In Goritiæ Supremum Ducem electo.

GAudete, o Populi! Forumque Julj,
Ledæique, Aquileja, quæ Timavi
Felix Fluminibus novem rigaris!
Et vos, Goritiæ beata rura,
Feſtis plauſibus inſonate: lætus
Adeſt namque dies, ſereniorque,
Mire & candidulo nitens lapillo.
Wenceslaus adeſt (1), Themiſque ſecum,
Incorrupta venit Fides, ſimulque
Providentia, Fauſtitas, Quieſque,
Sinu Copia & omnium bonorum
Effuſo. Aufugient ſcelus, nefaſque,
Et calumnia terra cum doloſis
Technis, Pauperiem quibus miſellam
Vexant, dilaniant, Potentiores.
Cedent ferrea ſæcla, & undequaque
Surgent aurea, priſtinum decuſque
Fulgebit Regione Juliana,
Hoc hoc Imperium gerente rerum.
Mens hoc alta jubet Ducis, probata,
Perſpecta & Populis diu, augurari.
At Tu (2) Camuti, & Tui Sodales

Exul-

Exultabitis, Inſulæque veſtræ.
Priſca Pax quoque Juliæ Tiaræ,
Et Concordia læta reſtituta,
Plus uno maneat perennis ævo.
WENCESLAUS adeſt: diem o beatam!
Gaudete, o Populi, Forumque Julj,
Lædeique, Aquileja, quæ Timavi
Felix Fluminibus novem rigaris!

XX.

AD

ANGELUM MARIAM CARDINALEM QUIRINUM

JOSEPHUS ROCCHUS VULPIUS S. J.

Se Tiburtinæ regionis amœnitatem reliquarum deliciis anteferre, imparem tamen Ampliſſimi Viri laudibus ibidem canendis eſſe.

PRIMA dictæ mea, QUIRINE, Muſæ,
Et muſa pariter canende ſumma;
Si Fortuna mihi ſereniore
Vultu det regionis optionem,
Quæ me præ reliquis magis juvaret,
In qua vivere, qua interire malim;
Non vos Theſſaliæ beata (1) Tempe,
Non ego (2) Alcinoi tuos, Homere,
Hortos invideam (3) Marontanos
Nec velim Calabros, Ocelle, nec te
Cunctarum nitidiſſima inſularum
Clara, Sirmio, (4) Syllabis (5) Catulli.
Linternum (6) tibi, Scipio, relinquam,

Et

Et primo (7) Capreas ſuas Neroni;
Bajas, Parthenopenque delicatam,
Et gratum Sybaritidis (8) Tarentum.
Non Mævania (9) me juvet Propertj,
Pelignave Ovidj juvent Penates.
Clauſæ * Vallis amoribus, Petrarca,
Sordent (des veniam) tui receſſus.
Mergilina (10) vale Actio venuſta,
Fraſtori Caphii (11) inclytique verſu
Montes parcite patriæ beati
Colles Euganei, (12) Hadriæque Littus,
Surrentina (13) meſ valete rura
Verſu Parthenii vocata in aſtra.
Non Rufinula, (14) Tuſculumve priſcum,
Præneſte, (15) aut Gabii, Algidive frigus,
Littus Anxuris, Antive Littus,
Albanus Lacus, aut Nemus Dianæ;
Quidquid denique ridet, undequaque
Fartum deliciis, juvet, locorum.
Argei nemoroſa ſed Catilli
Rura, atque Albuneæ Domus ſonantis,
Tibur (16) fertile quæ rigatis undæ,
Fundit quas Anien pater perennans,
Vos Pomaria læta ſempiternis
Grata & fructibus, & virente fronde,
Rivis mobilibus rigata, vos, vos.
Gratæ vos Oleæ decus Minervæ,
Cedit bacca quibus minor Venafri.
Umbræ Collibus aviæ ſupinis,
Ardens quas Leo, quas Canis ferire
Non audent minimo valentve morſu.
O Cæli Plaga temperatioris,

Quam

Quam mulcent zephyri ſalubriores,
Soles reſpiciunt magis benigni,
Sedes ſis utinam meæ ſenectæ!
Salve Terra mei decuſque Horati
Hoſpes atque Amor, inclytæque Muſæ
Altrix, conſcia carminum ſacrorum
Quæ, Matinæ apis in modum, Poeta
Divinus recolens tibi canebat.
Grates, Terra, tibi, quæ Horatianis
Et mi carminibus meos amicos
Alloqui per Epiſtolas dediſti.
Magnum Nomen ego ſonare Colles
Tibures docui tuum, QUIRINE.
Hoc ſilvæ, hoc Anien pater ſonarunt.
Impar laudibus at Tuis Bianor
Ex hinc Arcadiæ (17) meos Sodales,
Ut mi ſuppetias ferant, vocabo.
Thyrſi (18) fiſtula docta Te, Plat enus,
Alpheuſque, Lirenus, & Nicetas,
Cantabunt melius, queis rotundo
Verſu atque ore dedit ſonare Muſa.
At Tu reſpice, quas Tibi ſacravi
Biſſenas, precor, allocutiones,
Quem Muſa cecini modo & ſuprema,
Prima dicte mihi, QUIRINE, Muſa.

FINIS LIBRI TERTII.

18h

1505

JOSEPHI ROCCHI VULPII

E SOCIETATE JESU

ANIMADVERSIONES NON-NULLÆ

In ſuas ipſius Epiſtolas Tiburtinas.

A 4

JOSEPHI ROCCHI VULPII
E SOCIETATE JESU
ANIMADVERSIONES NON-NULLÆ
In ſuas ipſius Epiſtolas Tiburtinas
LIBRO PRIMO.
EPISTOLA PRIMA.

(1) Εὐπράττειν. *Bene agere*. Ἔῤῥωσο. *Vale* Formulæ apud Græcos in Epiſtolis uſitatiſſimæ.

(2) *Et Venetas ſimul, & Romanas, &c.* ANGELUS MARIA QUIRINUS CARDINALIS AMPLISSIMUS ab Veneta ſua Republica Romam allegatus ad controverſias quaſdam Romanum inter Pontificem, & Venetum Senatum componendas, omnium ad probationem prudentiſſime compoſuit ac feliciſſime, Anno Salutis 1734.

(3) *Luce Palatina &c.* QUIRINUS idem CARDINALIS AMPLISSIMUS eodem, quo graviſſimis eiſdem componendis controverſiis, tempore, Romæ ſubſiſteret, Atrium Palatinarum Ædium magnificentiſſimarum, in quibus Venetæ Reipublicæ Oratores reſident, & Veneti Cardinales Antiquiores apud Sanctum Marcum, a Paullo ſecundo Pontifice Maximo, Veneto ipſo quoque ex Patricia Barborum Gente, pro Romanis ipſis Pontificibus olim extructarum, & a Pio Quarto item P. M. Venetis donatarum, harum, inquàm, Ædium Atrium, atque interiorem illam Partem, quæ Venetis Cardinalibus Antiquioribus, Titulo proinde Sancti Marci, attributa eſt, ornavit CARDINALIS QUIRINUS, tectorio, inſcriptionibus, ſtatuis, numiſmatibus, aliiſque permultis erudituſſimæ ac politiſſimis rerum ad eas ipſas ſedes ſpectantibus monumentis. Cujus Ornatus facies artificiſa, ac forma expreſſa, paſſim circumfertur.

(4) *Tuſcula quiſdam &c.* Ruſticantur, qui Romæ vivunt, per hæc tempora in ſuburbanis ſeceſſibus amœniſſimis, qui ferme hi nominantur, ſcilicet in Tuſculano, modo *Fraſcati*, apud Albanum Pompeii, hodie *Albano*, juxta Appiam Viam, in cujus vicinia ſunt, Mons Albanus, nunc *Monte Cavo*, Lacus Albanus, modo *di Caſtel Gandolfo*, quos inter, fuit Albæ Longæ ſedes loco ferme, qui dicitur *Palazzolo*, ob elegantem Columnenſium Regulorum Villulam ibidem conſtitutam. Circa eſt Caſtrum ipſum ab Comite Pandulfo Sabellio denominatum, ubi Suburbanæ Romanorum Pontificum Ædes ampliſſimæ Mariinum, ſive Marianum, hod. *Marino*, Columnenſium itidem excultum Oppidum. Eſt ultra Albanum Pompeii, Aricia Chiſinorum Principum, vulgo *La Riccia*, Cynthianum Cæſarinorum, modo *Genzano*, *Nemus Dianæ* nunc *Nemi*, Frangipanorum ad Lacum ejuſdem Nominis, Lanuvium, nobis *Civita Lavinia* pariter Cæſarinorum, Loca Jovis Latialis,

tialis, Dianæ, ac Junonis Soſpitæ cultu, & templis, olim celebratiſſima. Parte alia prope Viam Gabinam, & Præneſtinam, adiri ſolent ad Vernas Autumnaleſque Ruſticationes culta Oppida in Agro Gabino e Præneſtino, *Zagarolo* Roſpiglioſorum; *Gallicano* Pallavicinorum, *Poli* Comitum, Præneſte Barberinorum, hod. *Paleſtrina*, *Valmontone* Pamphiliorum. Et in Regione olim Æquicolarum, *Vicovaro*, ſive Vicus Vari, aut Varronis, vulgo *Vicovaro* Bolognettorum, *Sambuci* Aſtalliorum, *Arſoli* Maximorum, Caſtrum Sancti Viti, vulgo *Santo Vito* Theodulorum, aliaque Romanorum Principum ac Patriciorum nobiliſſimorum Prætoria, & ſuburbana excultiſſima.

(5) *Herculeum in Tibur*, &c. Ita paſſim apud Veteres ſcriptores Tibur eſt appellatum, de celeberrimo Templo, quo ibidem colitus maxima ſuperſtitiones Hercules fuit. Unde etiam in Herculis Tutela eſſe, dictum eſt Vet. Epigram. *Tutela Rhodos eſt beata ſolis Gades Herculis, umidumque* TYBUR. Id Templum memorant eo loco ſurrexiſſe magnificentiſſimum, ubi nunc Divo Laurentio ſacrum eſt Chriſtianorum Templum Primarium. Hic, ſcilicet, Tibure, princeps Anio fluvius, hodie *Teverone*, alias *Tiburone* ab ipſo Tibure deducto vocabulo. Hic *Regna Palladis* oleæ inventricis, ob ubertatem, ita dixerim, ejus arboris copiam.

(6) *Expulſis Siculis*, &c. Tiburtinæ Urbis pars ab Siculis olim incolentibus *Siculetum* fuit appellata, nunc *Caſtro Vetere*, eſtque veluti quædam Montana Inſula, Amœni undique circumfluua. Ibi Vetuſtiſſimum atque elegantiſſimum rotundum Ædificium potiſſima adhuc ſui parte ſupereſt, quod vulgo dicitur *Il Tempio della Sibilla Tiburtina*.

(7) *Horatio exemplo præeunte* &c. Q. Horatium Flaccum Lyricorum Latinorum Principem in Tiburtino ſeceſſu amores ſuos pene unice collocaſſe, nemo eſt qui neſciat. Luculentiſſimum ejus, inter alia quam-plurima, illud eſt teſtimonium Ode 7. L. I. *Laudabunt alii Claram Rhodon*, &c. *Me nec tam patiens Lacedæmon, nec tam Lariſſæ percuſſit Campus opimæ, quam Domus Albuneæ reſonantis, & præceps Anio, & Tiburni Lucus, & uda mobilibus Pomaria rivis*. Et vero illud ejuſdem Poetæ Od. 6. L. 2. TIBUR *Argeo poſitum Colono ſit meæ ſedes utinam ſenectæ, ſit modus laſſo maris, & viarum, militiæque*. Unde Auctor ejus Vitæ, qui Svetonius communiter creditur, de illo memoriæ prodidit. *Vixit plurimum in ſeceſſu Ruris ſui Sabini, ſeu Tiburtini. Domuſque ejus oſtenditur circa Tiburni Luculum*, qui locus Antiquariis paſſim perhibetur fuiſſe ille, qui modo dicitur *Chieſa e Convento di Sant' Antonio da Padova preſſo Tivoli*. *Hinc tum Mecænas* in Tiburtino pariter habuiſſe perhibentur antiquitus excelſas, & ornatiſſimas ampliſſimas Villas Mecænas Equitum Decus & Literarum non Patronus modo, ſed Patrocinium.

Quintilius Varus Auguſti Cæſaris conſanguineus, & Dux Varianæ ſuæ clade funeſtiſſimi nominis: Piſones e Gente Calpurnia, ad quos Horatius Epiſtolam, *de Arte Poetica* ſcripſit. Et reliqui, qui hic nominantur, aliique quam plurimi in noſtro de Tiburtinis Commentario, qui Pars eſt Decimæ Hiſtoriæ Veteris Latii Profani, ſingillatim recenſiti. Villarum rudera paſſim viſuntur in Tiburtino, & aliquarum adhuc eo antiquo vocabulo perſeverant. Puta, *Villa di Mecenate*, *Quintigliolo*, *Piſoni*, *Piſonetto*, *Carciano*, quaſi *Caſſianum*. Et omnium maxime *Villa di Adriano* ab Ælio Hadriano

no Imperatore, vaſtiſſimæ inſtar Urbis ædificata. Cujus veſtigia per multa magnificentiſſima ſurgunt adhuc, ac de cujus ruinis evolutis, in dies pretioſiſſima & elegantiſſima monimenta, tot poſt ſæculorum inveſtigationes, ac inventiones, eruuntur tamen adhuc, & effodiuntur: quaſi de perpetua fodina aurum.

(8) *Caſſius hic &c.* Caſſius & Brutus, primi inter Julii Cæſaris percuſſores, in ſuas, quas proximam alteram alteri habuere, Tiburtinas Villas, ante ac poſt peractum facinus, ſeceſſerunt, plurium ſcriptorum, ac præſertim Ciceronis teſtimonio. Vid. Commentarium noſtrum *de Tiburtinis Capp. de Villis.*

(9) *Et Valerj genius, &c.* C. Valerius Catullus & Cajus Valerius Martialis Villas habuiſſe in Tiburtino, ipſi elegantibus ſuis carminibus teſtati ſunt.

(10) *Eretum, &c.* Antiqua horum locorum nomina cum recentibus collata ſic ſonant: Eretum *Monte Rotondo* in Sabinis. Soracte *Monte San Silveſtro, &* juxta, Oppidum *Sant Oreſte*. Montes Corniculani, ubi olim Corniculum Oppidum Servii Tullii Romanorum Regis ſexti Patria, nunc *Monticelli*. Veſtini *Le Montagne dell' Aquila*. Marſicus Apenninus *Le Montagne di Celano*, ſupra Fucinum Lacum, nunc pariter *Lago di Celano*.

(11) *Carolus, &c. P. Carolus de Aquino* Soc. Jeſu Neapolitanus Humanæ Literaturæ Operibus permultis celebris, qui annos natus nonum & & octaginta ſcribere adhuc pergebat.

(12) *Tune vetis, &c. P. Alexander SantoCanale* Soc. Jeſu Panormitanus Sacer Orator pluribus annis egregius.

(13) *Hunc ſequitur, &c. P. Hieronymus Tebaldus* Soc. Jeſ. Venetus, modo ap. Petrum in Vaticano *Pœnitentiarius*, ut vocant.

(14) *Burgundus, &c. P. Horatius Burgundus* Soc. Jeſ. Brixianus, ad triginta propr annos in Romano Collegio Mathematicarum Diſciplinarum Publicus profeſſor, in quo pene ex improviſo ſublato hæc ſtudia multum amiſerunt.

(15) *Syrus, &c. P. Petrus Benedictus, ſive Ambarah* Soc. Jeſ. *Quinquagenarius*, Syrus Maronita ex Monte Libano, Sacræ Hiſtoriæ, & Veterum Linguarum peritia commendatiſſimus, quemadmodum Sancti Ephræmi Syri Opera de Syrorum ſermone in Latinum ornatiſſime tranſlata, atque edita, inter cætera, teſtificantur.

(16) *Caſſis locupletata Bibliotheca, &c.* Anonymus e Soc. Jeſ. Bibliothecæ inſtructiſſimæ Collegii Romani Præfes, quo tempore ANGELUS MARIA Quirinus tuo in mœnibus, utrumque, Bibliothecam eamdem frequentiſſimus adibat.

(17) *Placidus, &c.* Illuſtriſſimus Præſul *D. Placidus Pezzancheri* Placentinus, Antiſtes Tiburtinus meritiſſimus, & Caſæ Mariæ Abbas Ciſtercienſis Primævi Inſtituti, vulgo *della Trappa*.

(18) *Baldinus, &c. P. D. Joannes Franciſcus Baldinus* Congregationis Somaſchæ, Brixianus, Sacrarum Congregationum Rituum atque Indicis Conſultor, eruditis editis Operibus V. Clariſſ.

(19) *Revilas, &c. R. P. Ab. D. Didacus de Revillas* Mediolanenſis Congregationis B. Hieronymi, in Romano Sapientiæ Gymnaſio Matheſeos Profeſſor, qui, cum alia, cum vero potiſſimum Tabulas Chorographicas Tiburtinæ & Marſorum Regionis, ſive Antiſtitum ſacræ Ditionis, edidit.

(20) *Bejozzius, &c. R. P. Ab. Joachimus Bejozzius* Mediolanenſis Congregationis Ciſtercienſis Inſubriæ Proc. Generali. Romanæ atque univerſalis Inquiſitionis adverſus Hæreticam Pra-

Pravitatem Conſultor, & in Vaticanis proxime habitis Comitiis ad excipiendas Purpuratorum Patrum conſilio- nes electus inſignis Theologus.

(21) *Unde licet parvos*, &c. Deſcribitur hic locus amœniſſimus Tiburi ſummœnianus, juxta & circum Anienis ripas, e quibus permulti aquarum Dejectius atque Decurſus amœniſſime conſpicui ſunt, vulgo *Le Caſcatelle* e regione veteris Ædificii, vulgo *il Templo della Sibilla* praeter ea loca, ubi olim Mecœnatis, Quintilii Vari, Horatii Flacci, Valerii Catulli, & Manlii Vopiſci Poetarum Villæ fuiſſe perhibentur. Hac Umbras horum Poetarum convenire ſolitas fingitur, juxta Veterum fabulas. Dicuntur autem Auctorem hujus Epiſtolæ certatim provocaſſe in laudes Angeli Mariæ Quirini Cardinalis meritiſſimi: quemadmodum apud Virgilium Chorus Paſtorum, & Varum, ac Deorum Silveſtrium Gallum Poetam circumſteti ſſe memoratur. Eclog. 10 v. 19. & ſeq. *Venit, & Upilio; tardi venere bubulci, Uvidus hiberna venit de glande Menalcas. Omnes, unde amor iſte, rogant, tibi? venit Apollo, Galle, quid inſanis?... Venit, & agreſti capitis Silvanus honore... Pan Deus Arcadiæ venit* &c.

(22) *Nurſini Patris exemplo* &c. Magnus Pater *Divus Benedictus* e Gente Anicia Romana nobiliſſima, Municipio Nurſino (*Norcia*) exortus, cujus Inſtituto Sanctiſſimo, & præclariſſimo Angelus Maria Quirinus ex per vetuſta Veneta Patricia Gente, ab ineunte uſque ætate, in Brixiano S. I. Nobilium Convictorum Collegio externus educatus, nomen dedit Florentiæ, ubi quoque humanis, divinisque litteris inſtructiſſimus florentiſſima adhuc ætate Præſul ſuorum creatus ad Corcyrenſes mox Inſulas translatus, ſacra demum Romana Purpura fuit inſignitus; & Brixienſis factus Antiſtes, & Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus eſt renuntiatus, &c.

(23) *Expromenſque Tuo de Pectore Bibliothecam Chriſti*, &c. Ita Sanctus Hieronymus De Nepotiano. *Pectus ſuum fecerat Bibliothecam Chriſti*. Quod dictum ipſe Cardinalis Quirinus Benedicto XIII. P. M. Urſino, ante nos, adaptavit, ejuſdemque Pontificis imagini a ſe editæ appoſuit.

(24) *Purpura quorum ſcripta, Quirine, mihi, Tua præſtantiſſima juſſa*. Scripſit Auctor hujus Epiſtolæ Hiſtoriam Latinam Venetorum Cardinalium partes duas complexam, alteram eorum, qui Venetam Urbem, eorum alteram qui reliqua Venetæ Ditionis loca patriam ſortiti ſunt. Huic Operi Cardinalis Quirini juſſu confecto, atque opportune prodituro Titulus eſt *Venetia Sacra Purpurata* &c.

(25) *Hoc Tiburtino canerem dum Colle Blanus* &c. Auctoris Paſtorium nomen inter Arcadas *Blanor Cromeus*, qui Viri Ampliſſimi Cardinalis Quirini laudes uſque adeo non exaggeraſſe profitetur, ut potius extenuaverit: *Propter egeſtatem linguæ, & rerum novitatem quod ajebat Lucretius*.

EPISTOLA SECUNDA.

(1) Non *Tu Carpus eras*, &c. Adhibet hic opportune Auctor Horatii ſententias, quibus paſſim tamquam gemmis ſuas ornavit Epiſtolas: aliorum quoque Poetarum dicta frequentiſſime uſurpat; neque ſe tamen furti alligare apud æquos Judices veritus eſt, cum nuſquam hoc diſſimulaverit; immo vero palam profeſſus fuerit ab ipſo exordio Operis hujus, Ho-

ratium ſe potiſſimum ſequi voluiſſe, in Tiburtino ſuo, *Apis Matinæ more modoque grata carpentis thyma per laborem plurimum, circa nemus, uvidique Tiburis ripas, operoſa parvus carmina fingentem.*

(2) *Altini littora*, &c. Sic Martialis Lib. 4. Ep. 25. *Æmula Bajanis Altini littora Villis*. Altini ex Urbe ab Attila Hunnorum Rege everſa, Venetis in Æſtuariis, fama eſt, *Fuſcarenam Gentem* Venetias olim tranſmigraſſe, a primis uſque Venetæ Reipublicæ temporibus ibi certe primarias inter Patritias Familias, loco, re, virtiſque geſtarum rerum gloria clariſſimis ſemper in hanc uſque diem florentiſſima, fuit.

(3) *Eſt magnus ſignata viris*, &c. Venetorum Hiſtoriam ſcripſere, cum reliquis, *Petrus Bembus*, paucorum licet annorum, *Andreas Maurocenus*, *Marcus Antonius Sabellicus*; *Petrus Juſtinianus*, *Bernardus Juſtinianus*, *Nicolaus Doglionus*, *Paulus Paruta*, *Petrus Garzonus*, aliique, in præſens autem Venetæ Reipublicæ Hiſtoricus ab Senatu renuntiatus eſt *Eques Marcus Fuſcarenus Divi Marci Procurator ex merito*.

(4) *Vulpius hunc nuper*, &c. ab exceſſu *Dominici Lazzarini de Moro* Maceratenſis, Eloquentiæ, Græcarumque, & Latinarum Litterarum Cathedram implevit *Joannes Antonius Vulpius* in Patavino ipſo Gymnaſio Philoſophiæ jam Profeſſor honeſtiſſimo Veneti Senatus-Conſulto, cum neque inter Candidatos ſeſem ſtudium dediſſet, utpote quia ſua contentus ſorte nihil tale cogitaret. Quod, adnitente, inter ceteros, eximiæ auctoritatis Senatore Marco Fuſcareno factum eſt, anno ſal. 1736.

(5) *Meque atque meis*, &c. Venetis Patribus debere ſe plurimum non uno nomine Auctor candidiſſime ac gratiſſime palam ſemper profitebitur.

(6) *Si vivere longius illa*, &c. Romanus Senatus auctoritas atque libertas quadringentos tantum & ſexaginta duravit annos; nempe poſt Reges exactos ab Urbe condita CCXLV. ante Chriſtum Natum, ſive Vulgarem Æram, quingenteſimo-nono, quando L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus primi Conſules creati fuerunt, ad annum uſque Urbis conditæ quintum a ſeptingenteſimo; ante Chriſtum Natum, nonum & quadrageſimum; in quo Julius Cæſar, omni prorſus Romani Senatus auctoritate poſthabita, unus omnium rerum potitus eſt. Dictatorque perpetuus dici voluit. Venetæ autem Reipublicæ Libertas ipſius atque Urbis Venetæ naſcentis exordio, quod anno ſalutis CCCCXXI. ad VII. Kalendas Apriles contigit, in hanc uſque diem, ſcilicet poſtridie nonas Decembres anni MDCCXLII. poſt mille trecentorum viginti duorum annorum ſpatium, & eo amplius, incolumis perſeverat. Quodque potiſſimum eſt, Chriſtianam Religionem nullis unquam erroribus inquinatam in gremio feliciſſime nata Republica, educata atque alta, Depoſitum idem Sacroſanctum ſemper fideliſſime conſervavit. Quæ egregia Dei Optimi Maximi beneficia perennia ac perpetua Reipublicæ eidem amantiſſimæ, ut ſint, auguramur.

(7) *Nec deſcendimus Mocenici*, &c. *Joannes Aloyſius Mocenicus Venetus Senator Ampliſſimus*, *ac Divi Marci Procurator ex merito*, Romæ pro Patria Republica Orator cum eſſet, uſque adeo ordines omnes præclaris ac præcelſis dotibus ſuis, ſibi devinxerat, ut ejus audito ab aula diſceſſu, ingentem univerſi mœrorem conciperent; neque aliter animæquiores facti fuerint, quam Marci Fuſcareni ſucceſſoris audita fama. Cum revera, omni prorſus procul adulatione, contigerit illud Poetæ, quod *uno avulſo, non deficit alter*

ter

ter aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo. Virg. L. 6 Æneid. v. 144.

(8) *Levi Scriptoris ab ævo*, &c. Venit Magnus Romanæ Hiſtoriæ parens, *Titus Livius Patavinus* Romam, ut Romanam ipſam Hiſtoriam ſcriberet, quamvis ſenior in Patriam remeaverit. Sic quoque cæteri Hiſtorici Græci Latinique paſſim fecere, puta, Plutarchus, Dionyſius Halicarnaſſenſis, Strabo, Dio Caſſius, Svetonius, Plinius, aliique permulti; mirum enim quantum Romanæ ipſius Urbis Majeſtas ac præſentia Hiſtoriæ ſcribendæ ſemper animorum atque adminiculorum contulerit!

(9) *Quos Corradinus*, &c. *Petrus Marcellinus Corradinus Cardinalis Ampliſſimus* virtutum ac doctrinæ fama clariſſimus, viginti ferme abhinc annis Epiſtolæ hujus Auctorem ab Moderatoribus Soc. Jeſu depopoſcit, impetravitque, qui Veteris Latii Hiſtoriam conſcriberet. De hac ſermo eſt in præſenti Epiſtola. Editæ autem ſunt in hanc diem Hiſtoriæ ejuſdem Partes Octo; ſcilicet 1 *De Latio ac Latinis in genere*. 2. *De Setinis & Circejenſibus*. 3. *De Antiatibus & Norbanis*. 4. *De Veliternis & Coranis*. 5. *De Lanuvinis & Ardeatibus*. 6. *De Laurentibus & Oſtienſibus*. 7 *De Albanis & Aricinis*. 8. *De Tuſculanis & Algidenſibus*. Ac jam perfectas habet Auctor in Adverſariis paratasque ad prælum, cui propediem ſuppoſiturus eſt, Partem 9. *De Præneſtinis & Gabinis*, & 10 *De Tiburtibus, cæteriſque Veteris Latii Populis excisis*. Quibus eruditum ſane ac multæ indaginis, plurimarumque utilitatum Opus confectum erit.

(10) *Tiburtis Argæi*, &c. multis profecto laudibus Tiburtina Regio ac Ruſticatio cumulatur, cunctis tamen omnibus, ac promeritis, cum potiſſimum Auctor in Tiburtino ſeceſſu amœniſſimo, fontes interque, auraſque ſalubres, hanc Epiſtolam ſociaſque exaraverit, unde *Tiburtinas* jure denominavit.

EPISTOLA TERTIA.

(1) *Soteria*. Vox hæc Græca, *Salutaria* ſignificans, a Latinis quoque uſurpata fuit; ut munera, quæ amicis e morbo reſtitutis mitti ſolebant, innuerentur. In hanc ſententiam Martialis amico Polycarmo, qui ex frequentibus morbis convaleſcens gratulatoria hæc munera ab amicis expoſcebat, ſcripſit, *Nam quoties ſurgis*, SOTERIA *poſcis amicos* Ep. 56. l. 12. Quoniam verò Poetæ in tenui cenſu communiter eſſe ſolent, hi, pro pretioſis aliis muneribus, carmina ſua ſanatis amicis offerebant; illiſque *Soteria* Titulum inſcribebant. Hujuſmodi eſt P. Statii Papinii Carmen quartum, Silvarum libro ſecundo ad Rutilium Gallum, SOTERIA Titulum præferens. Hos imitatus Epiſtolam hujus Auctor Angelo Mariæ Quirino Cardinali, Mecænati ſuo Optimo, e graviſſimo reſtituto morbo, quo Romæ ad extremum pene ſpiritum fuerat conflictatus, anno ſal. 1737 Octobri Menſe, Epiſtolam hanc Tibure miſit, gratulatoriam de priſtina recepta valetudine; quam proinde merito ipſe quoque inſcripſit SOTERIA.

(2) *ſummo ſiſtentem me vertice*, &c. Quis Fortunæ Rotam, orbitam, ſive Orbem, aut Globum, à Poetis attributum ignorat volubilem ſemper & ima ſummis mutantem? In hoc igitur Auctor, ſe, qui, vivo, & benevalente Quirino Cardinali Patrono ſuo optimo, felicem ac proinde in Fortunæ

Rotæ

Romæ apice ſummo ſtantem ſeipſum exiſtimabat, audito ejus amittendi periculo tam præcipiti, ab Fortunæ in imum pene ſeſe dejectum Rotæ ejuſdem, indoluiſſe.

(3) *Quæ præclara Tua eſt ſperata inſignia Virtus?* En morbo Quirinus dein omnibus Chriſtianæ Heroicæ Virtutis luculentiſſima præbuit exempla, ſiquidem mortem, quæ imminere exiſtimabatur, non tranquillo tantum, verum & hilari vultu aſpexit, morbi vim acerrimam conſtantiſſime toleravit. Chriſtianis Myſteriis Omnibus præmature munitus voluit, inter eximia in Deum Pietatis argumenta. In pauperes autem qui ſemper largus & miſericors, tum vero ſeſe largiſſimum & maxime miſericordem oſtendit. Unice enim ad pias cauſas Teſtamentum condidit, adeantes verò, non modo caſum ejus ingemiſcere noluit: verum etiam ſibi ad beatam perennemque vitam approperanti atque adeo proximo gratulari, hortatus eſt, &c.

(4) *Heredes Monumentum Ne ſequeretur.* Hac ſæpiſſime formula in Teſtamentis condendis, dum de ſepulcro diſponerent, Latinos Veteres uſos, ſcimus, quæ in ipſis quoque ſepulcralibus inſcriptionibus ſic notabatur H. M. N. S. *Hoc Monumentum Heredes. Non Sequatur.* Quibus verbis ſignificabatur, ſolum velle Teſtatorem eo ſepulcro condi, nec unquam ab Heredibus illud alienari in alias Familias poſſe, quod etiam per *Externos Heredes* E. H. ſignificabatur. Dicit itaque Auctor ab Cardinali Quirino ſuperacuam hanc cuẽam omiſſam, & tantum de pauperibus Chriſti, heredibus inſtituendis cogitatum fuiſſe.

(5) *Ad uſque Catilli mœnia.* Scilicet Tiburta Catillo Tiburto & Corace fundatum. Sic Horatius id appellavit lib. 2. Od. 18 ad Quintilium Varum, *Nullam, Vare, Sacra vite prius ſeveris arborem circa mite ſolum Tiburis, & Mœnia Catili*. ubi pro *Catili*, dixit *Catili*, menſuræ carminis eut inſerviret, cum cæteroquin Scriptores reliqui omnes, ac præcipue Virgilius & Silius, *Catilli*, & *Catillus* conſtanter ſcripſerint.

(6) *Vos tamen O ſuperi &c.* Invocat hic Poeta eos præcipue inter ſuperos, ut Quirino Cardinali patrocinentur, quibuſcum ipſi ſingularia merita intercedebant. *Beatiſſimam* in primis *Deiparam Virginem Mariam*, cujus nomine *Angelus Maria* Cardinalis appellatur; B. Petrum ob Romanam Purpuram, & Vaticanam Bibliothecam incrementis adauctam. *Sanctum Marcum* Venetorum Patronum, item B. Marcum Romanum Pontificem, in cujus honorem Tituli ſui Baſilicam Romæ Quirinus multimode exornavit. Eidemque de cauſis Sanctos Abdon & Sennen M. M. quorum corpora in ipſa Baſilica tumulata pretioſis additis ornamentis illuſtrata ſunt Quod multo magis de Sancto Philaſtrio dicendum, ob magnificentiſſimum Brixiæ Templum Ponceps ab Cardinali Quirino procuratum magnificentiſſime. & ob ejuſdem Philaſtri Opera recuſa atque illuſtrata, una cum cæteris Brixienſium Patrum, maximeautem Sancti Ephremi Syri, &c.

Porro auctor hac invocatione imitatus eſt Virgilium, qui in fine libri primi Georgicorum a verſu 498 celeberrimam illam Numinum invocationem habuit, ut Auguſto Cæſare parentur, illumque incolumem Romanæ Reipublicæ conſervarent *Dii patrii indigetes, & Romule, Veſtaque mater*, &c. Ex qua poeticos colores, qui ſibi magis congruere viſi ſunt, hic auctor in rem ſuam large deſumſit.

EPISTOLA QUARTA.

(1) *Paſſionæi*, &c. *Dominicus Paſſionæus Foroſempronienſis Patricius*, ab ineunte ætate, Clementini Collegii Romæ Convictor futurus, ibidem virtutis egregia documenta dedit; atque illud inter cetera ſingulare, quod plurimas ex univerſa Philoſophia poſitiones publice propugnavit coram Purpuratorum Patrum, Præſulum, nobiliumque ac doctorum virorum frequentiſſima Corona, quas ipſe Clementi XI. P. M. dedicaverat, antemeridianis horis duabus, ac pomeridianis totidem, ann. ſal. 1701 decima quinta Septembris, data cuicumque arguendi facultate, egregie uſque adeo ac feliciter, ut fauſtiſſimos exinde progreſſus, qui poſtea ſunt ſubſecuti, in adoleſcente præſtantiſſimo, quotquot eruditi certamini interfuerant, augurarentur. Inter Aulæ Romanæ Præſules mox cooptatus, graviſſimis continuo tractandis rebus a Clemente ipſo Pontifice adhibitus eſt. Hujus Viri Clariſſimi tum alibi plures, tum vero in Ultrajectino fere Omnium Europæ Principum inter Oratores Congreſſu prudentia ac Sapientia maxime enituit. Ad Helvetios inde Romanæ Sedis Nuncius eſt allegatus, poſtea vero Vindobonam ad Carolum VI Romanorum Imperatorem. Quibus graviſſimis muneribus, cum Romanam Purpuram ſæpius ſuiſſet promeritus, ea tandem ab Clemente XII ornatus eſt ann. ſal. 1738. Litteras idem ac Litteratos Viros amavit ſemper ac promovit plurimum.

(2) *Hinc Venuſinarum Legum*, &c. Lex ſive Præceptum, aut Edictum Horatii Flacci Venuſini Poetæ in Arte ipſa Poetica hujuſmodi eſt: *Cui lecta potenter erit res, Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo*. Quam Legem ſervavit ad unguem Cardinalis idem Paſſionæus, quando laudandum ſibi delegit *Chriſtianum illum Martem Eugenium Principem a Sabaudia Turcarum Terrorem atque Exterminium*, egregia Funebri in illum Oratione ſcripta, atque habita coram Carolo ipſo Imperatore, Univerſaque Cæſarea Aula plaudente.

(3) *Vulpia Cura*, &c. Eam Orationem Paſſionæus *Joanni Antonio Vulpio in Patavino Gymnaſio Eloquentiæ Profeſſori* excudendam allegavit Cominianis illis typis elegantiſſimis, unde etiam eodem procurante Vulpio, prodiit ornatiſſima ann. 1737 in 4. Chart. majore uſqueadeo, ut non modo ipſa Orationis tela, verum etiam ejus Editio politiſſima, univerſorum, & ipſius quoque Cæſaris, commendationem meruerit. Quare Paſſionæus Vulpio Gratiarum actionis Epiſtolam humaniſſimam miſit Vindobona; quam Vulpius, ut ederetur, in ſecunda Orationis Funebris in Eugenium Principem editione in 8. merito procuravit. Ea ſic habet.

Lettera di Monſignor Domenico Paſſionei Arciveſcovo di Efeſo e Nunzio Apoſtolico in Vienna Al Sig. Gio. Antonio Vulpi.

Illuſtriſſimo Signore

Rendo quelle grazie maggiori, che ſo e poſſo a V. S. Illuſtriſſima, per la ſomma accuratezza, con la quale ha procurato, che dai Torchi rinomati di coteſti Comino eſca alla luce il mio debole Componimento: potendola aſſicurare, che la bellezza del carattere, e l'eſattezza della correzione ſuppliranno in qualche parte ai difetti, che il mio ſcarſo ingegno avrà pur troppo commeſſi nello ſtenderlo. E per dir vero, quelle Opere, che anno avuto l'iſteſſo ſorte dello

la mia, d'eſſere raccomandate alla ſua ſomma Vigilanza, ſoſtengono in tal maniera l'antico Onore d'Italia, che il nome de Signori Volpi va del pari con quello de' Manuzj, e non ceda punto alla fama degli Stefani. Io, che per tanto tempo mi ritrovo fuori d'Italia, poſſo renderle più d'ogni altro queſta Teſtimonianza, che prego Lei di riguardarla come un atto di Giuſtizia, e non come un ſentimento di quella perpetua Gratitudine, che le debbo. E per fine me le raſſegno con tutta la ſtima poſſibile. Vienna 19. Ottobre 1737.

Di VV. SS. Illuſtriſſ.

Devotiſs. ed Obbligatiſs. Ser.
Domenico Arciveſcovo d'Efeſo

(4) *Ditem, per rarum Bibliothecam.* Cardinalis Paſſionæi Bibliotheca ab ipſo ſapientiſſimo Viro tota ferme vita collecta undique & conquiſita ſagaciſſime ac diligentiſſime, inter potiſſimas Urbis merito recenſenda eſt. Eam modo in Quirinali, honeſtiſſimo loco, ſcilicet in Palatio, cui nomen *Della Conſulta*, elegantiſſime atque aptiſſime collocatam eruditi Viri ſuſpiciunt, adeuntque frequentes.

(5) *Sermone Docte utriuſque.* Horatius Ad Mæcenatem: *Docte Sermones utriuſque linguæ.* Od. 8. l. 3.

(6) *Te involvens virtute Tua.* Horat. Od. 29. l. 3. *Laudo manentem* (Fortunam) *ſi celeres quatit pennas, reſigno quæ dedit, & mea virtute me involvo.*

(7) *Prima Valentini*, &c. P. *Valentinus Valentini Romanus nuper Procur. Generalis, nunc Generalis Abbas Monachorum Ciſtercienſium Congregationis Fulienſis, atque Epiſcoporum Examinator.* Cardinali Paſſionæo perneceſſarius, propter eximias prudentiæ ac doctrinæ dotes, dum ipſe Paſſionæus Roma abeſſet, ejus Bibliothecæ Curam geſſit, &c.

(8) *Colliſque a vimine dicti*, &c. In Colle Viminali Romæ P. P. Ciſtercienſium Fulienſium Ædes ſunt, juxta Templum *Divi Bernardi ad Thermas*: in iis ædibus per multos annos Bibliotheca Cardinalis Paſſionæi ſervata eſt, quarum partem ipſe ſuis ſumptibus ædificaverat. Porro Collis inde dictus eſt *Viminalis*, quod in eo fuerit antiquitus *Ara Jovis Viminei*, ad quam ſcilicet *Vimina* ſponte ſua enata prodigii loco habita ſunt.

(9) *Diocletianarum*, &c. Ibi *Diocletiani Thermæ* magnificentiſſime fuerunt extructæ, quarum veſtigia ingentia ſuperſunt adhuc eo Tractu, qui dicitur *Termine*, ex antiquo *Thermæ*. Harum Calidarium ſeu *Vaporarium* rotundæ figuræ, fuiſſe ipſum Divi Bernardi Templum, ab antiquariis merito exiſtimatur, Titulus Cardinalis ipſius Paſſionæi. Eas Thermas a Chriſtianorum multis millibus ad opus damnatis ædificatas fuiſſe accepimus, qui conſummato opere, omnes gladio necati ſunt, ob Chriſti teſtimonium. Eorum Corpora *Via Oſtienſi*, ſive *Laurentina*, *ultra templum Beatorum Vincentii & Anaſtaſii, ad Aquas Salvias, ſive ad Tres Fontes*, extra *Portam Trigeminam*, nunc *Di San Paolo*, ſepulta memorantur, loco, qui dicitur *Santa Maria Scala Celi*. At *Beati Zenonis*, qui Omnium Dux fuiſſe traditur, *Corpus*, ad *Divi Andreæ* P. P. Soc. Jeſu *in Quirinali* translatum, ſub ara maxima requieſcit, & nona Julii, annua celebritate recolitur.

(10) *Soracte*, &c. hodie quoque *Monte Soratte, ſive di S. Silveſtro* prope Sabinos, ubi incolunt P. P. iidem Ciſtercienſes Fulienſes, loco, quo latuiſſe perhibent Beatum Silveſtrum R. P. unde etiam evocatum eumdem memorant ab Imperatore Magno Conſtantino, ut Chriſtiano ipſum lavacro ab lueret. Quod Romæ, non vero prope Nicomediam, contigiſſe, poſt quamplurimos ſcriptores, validiſſimis argumentis, & rationum momentis, documentiſque legitimis, probat P. Mat-

 thias

thras Purchman Germanus Monachus Sancti Pauli Primi Eremitæ in ſua Diſſertatione *De Conſtantini Romano Baptiſmate* edita hic Romæ anno 1742. quo vivimus.

(11) *Flaminia .... Semproniaque Forum*, &c. Flaminia Via, (quod notiſſimum eſt ceteroquin) ab C. Flaminio Conſule directa & ſtrata fuit ab Romæ Urbis Porta modo *del Popolo*, Ariminum uſque, unde ab Æmilio uſque Placentiam continuata eſt. Forum vero Semproni ab inſtitutore Sempronio pariter nomen deſumſit. Fora autem appellavere Romani ea loca, atque eas Urbes, in quibus prætor judicia publice, ac conſtituto Tribunali, exercebat. Hinc *Forum Caſſii, Cornelii Syllæ, Popilii, Livii, Flaminii* aliaque per multa.

(12) *Crateuſque Buvor*, &c. Nomen Paſtorale inter Arcadas Auctoris hujus Epiſtolæ.

(13) *Ritu Horatii*, &c. In his Epiſtolis, ac preſertim hujus Libri primi, Epiſtolas Horatii ſecutum ſe ferme, Auctor profitetur. Aſſecutum autem eſſe, non audet dicere.

(14) *Fraternis concentibus uſus*, &c. Joannes Antonius Vulpius Auctoris hujus Epiſtolæ germanus frater Romanam Purpuram Cardinali Dominico Paſſioneo in hæc verba, litteris Patavio datis, eſt gratulatus: *Copia di Lettera*

Eminentiſſimo Principe.

Le Azioni Glorioſe di V. E. e i Moltiſſimi gravíſſimi da Lei ſoſtenuti per sì lungo ſpazio di tempo, e in tanti Decoro, e Vantaggio della S. Sede Apoſtolica, e della Chieſa Univerſale, pareggiano in modo l'onore della Sagra Porpora, benchè maſſimo, e riſpettabiliſſimo, a cui la Santità del Regnante Sommo Pontefice queſti giorni addietro l'hà ſublimata; che certamente non abbiſognano de ricorrere a quello, che il Mondo chiama Fortuna e Felicità, perchè poſſi falla bilancia della ſtima de Saggi rimanga adeguate Meriti, e Premio. Rallegromi dunque ſenza fine più con la Dignità medeſima, che ancora Splendore viene a ricevere dal ſoggetto virtuoſiſſimo, al quale è ſtata giuſtamente conferita, di quello che io faccia con l'E. V. avendo io da gran tempo prevenute le odierne Congratulazioni, quando io aſcoltava con diletta inſieme, e con venerazione la Fama delle ſue Doti ſingolariſſime e di quell'Opere ſegnalate, che a ſi alto fine di lor natura l'andavano indirizzando. Godo altresì a mio riguardo, veggendo annoverato frà Principi di Santa Chieſa un mio Benigniſſimo Protettore; alla cui Approvazione io debbo la buona parte il Credito, che in Italia e fuori t'anno acquiſtato le mie Letterarie fatiche; e dal quale io poſſo ſperare in avvenire Grazie ſempre maggiori. Sento parimente conſolazione incredibile per la certa cognizione degli Ottimi Studj, che oggi mai avranno nel Sagro Collegio de Signori Cardinali un validiſſimo Difenſore, e un liberaliſſimo Mecenate. Ma ciò, che più importa, un Sapientiſſimo Conoſcitore, un giuſtiſſimo Eſtimatore, un Amantiſſimo Coltivatore. Onde più non abbiamo ad invidiare a quell' aureo Secolo i Pariſi, i Bembi, i Seripandi, i Commendoni, i Sirleti, gli Antoniani, i Bellarmini, i Baronj; e tanti altri Eroi di conſumata Prudenza e Dottrina, che adornarono de' loro nomi immortali l'Eccleſiaſtico Auguſto Senato. Creſce finalmente a diſmiſura il mio giubilo, quand io penſo al tempo futuro, e conſidero, come V. E. in ogni ſua Dignità ha ſaputo in giuſa diportarſi, che le genti l'anno ſempre ſtimata degna di grado ſuperiore. Voglia Iddio che un giorno ſi avveri ciò che ora deſidera, e preſagiſce il mio ſpirito. Ed intanto porgendo Voti all' Altiſſimo per la di Lei Salute e conſervazione tanto importante, mi inchino al bacio della Sagra ſua Porpora, e mi proteſto, che ſono e ſarò ſempre D. V. E. Padova 4. Luglio 1738.

Umiliſſ. Oſſequioſiſſ. Obbligatiſſ. Ser.

Gio: Antonio Volpi.

(15)

(15) *Simbrivis de Fontibus*, &c. Anio Fluvius, qui Tibur præfluit atque fœcundat, unde Tiburtina hæc Epiſtola miſſa eſt, Oritur ſupra Montes Trebanos, ultra Sublaqueum, ex Fontibus, qui *Simbrvini*, *Simbrvvii*, & *Simbrvvii*, aut *Simbrvvi* ſunt nominati, qui nunc comparantur ab Auctore Fontibus Aponi celeberrimis prope Patavium, in Euganeis Collibus. De quibus Claudianus, & Martialis, & Lucanus, aliique Veteres auctores plurimi multa cum laude meminerunt.

EPISTOLA QUINTA.

(1) HErculea de Gente ſatas, &c. Ioſephus Maria Herculanus e Marchionibus Herculanis, Senogallienſis, & pluribus Patriciis Familiis Anconæ ſanguine junctus, aliiſque in Piceni Urbibus, opulenta ipſe familia exortus, & in Romana Aula Præſul laudatiſſimus; poſt aliquot Pontificiæ Ditionis Urbes Gubernatoris munere adminiſtratas, ad ſuaviſſimos diſciplinarum, bonarumque artium, quas a teneris uſque ſemper excoluerat, decerpendos fructus totum ſe contulit, magiſtratibus reliquis abdicatis. Edidit proinde varii generis Opera commendatiſſima. Quare Auctor hujus Epiſtolæ illum ab ſe cultum ob excelſas, potiſſimum animi dotes, politiſſimamque omnigenam Litterarum, profitetur.

(2) *Tua Mens excelſa, Tua & Sapientia*, &c.

Viri hujus Clariſſimi excelſa Mens & ſapientia tum privatis in ſermonibus totaque honeſtiſſimæ vitæ ratione conſtanter traductæ, tum vero præclariſſimis editis in Operibus tamquam *votiva deſcripta tabella*, ut Horatius ait, perſpectiſſima eſt. Poetici namque ejus Fœtus, una cum puriſſima aureaque vena, elegantiiſque omnibus & veneribus, profundiſſimæ Sapientiæ ſenſa involutos ſemper atque exhibent: neque enim verſus ejus ſunt *inopes rerum*, *nugæque canoræ*. (Horat. In Arte v. 322.) verum optimæ plenæ frugis, & Pietatis, Virtutumque cæterarum illicium potentiſſimum.

(3) *Virginis Intaſta*, &c. Deiparæ Muſas ſuas tantummodo conſecravit Herculanus feliciſſime; typiſque Cominianis Patavinis ornatiſſime edidit Etruſcorum Carminum elegantiſſimorum Libros Duos, hoc Titulo MARIA. *Rime di Neralco Paſtore Arcade* in 8. 1725 Horum primus in Elegiacos verſus Latine a præclaro Poeta Siculo translatus fuit. At uterque recuſi rum Brixiæ, tum vero Romæ tertio, apud Rubeum, ut jam explicabitur.

(4) *Laſſa umbratri Celi Salamite tremphes*, &c. Innuitur hic excellentiſſimum Herculani Divini Poetæ Opus Dramaticum Paſtorale, cui Titulus *La Salamite Boſcareccia Sagra di Neralco Paſtore Arcade*, quin Librum Salomonis *Cantica Canticorum* inſcriptum, ſapienter, profunde ac fideliter non ſolum, quam poeticis coloribus circumveſtitum, exornatumque, explicavit, & Deiparam in Cœlum Aſſumptæ perpetuam in illo Allegoriam lateræ, oſtendis. Prodiit item Romæ 1732., in 4. item rurſus ibidem in 8. una cum carminibus. MARIA *Rime di Neralco*, quod nomen eſt *Ercolano* anagrammate involutum; apud Antonium Rubeum in 8. tabulis ſemper adjectis myſteriorum, quæ celebrantur, ſcitiſſime expreſſis. Opus idem, *La Sa-*

Salamite, ceteros inter Cenſores, etiam hujus Epiſtolæ auctor Supremorum juſſu Magiſtratuum recenſuit, & ad probavit, quemadmodum in fronte Libri cernere eſt.

(5) *Antipodaſque ipſos duodena in nomina dulis* ſcilic. *dividis* Hor Sat 2. l. 2. v 67 *Albutj ſeu exemplo, dum munia didit*. Significatur hic Geographicum Clariſſimi Eruditiſſimique Præſulis Opus, quo, novo ordine, Univerſum Terrarum Orbem in duodecim partes, quæ in duodecim minores ſingulæ dividuntur, iterumque, ac tertio, & deinceps, in alias duodecim, Memoriæ auxilium Opportuniſs.

(6) *Circuli ut in triplici conſtas comprendis hiatu*, Præclarum aliud Herculani Opus Architecturæ, quo menſuras Omnes Veterum Græcorum ac Romanorum Ædificiorum triplici Circuli hiatu, ſive menſura ſapientiſſime complexus eſt, ædificiorum eorumdem exemplis ubique appoſitis, tabularum accuratiſſime expreſſarum adjectione. De Deo Optimo Maximo ait Scriptura: *Quis appendit tribus digitis molem Terræ*. Iſai (4.12 12.

(7) *Ab ipſo Te Puero conſcius bona vera frontus*. Iuvenal Sat. 10 *Omnibus in terris, quæ ſunt a Gadibus, uſque Auroram & Gangem, pauci dignoſcere poſſunt vera bona*. At Herculanus noſter vere *paucorum hominum, & mentis bene ſana* (Hor Sat. 9 l. 1 v 44.) cuique & alia Horatiana conveniunt quam maxime, ſcilic.

Quod ſi me Populus Romanus forte roget, cur, non ut porticibus, ſic judicus fruar iſdem (Ep. 2. l. 1. v. 21) &c. tum illud: *Quid oportet nos facere, a vulgo longe lateque remotos* (Satyr. 6. l. 1. v. 1. 18)

(8) *Cumque Novo Tua Parma Foro*. Forum Novum Oppidum prope Parmam in Æmilia, Ditionis eſt Gentis. Herculanæ, quæ proinde *Marcheſi di Fornovo* appellatur. Parmæ autem educatus eſt Herculanus noſter in Nobilium convictorum adoleſcentium Collegio, poſtquam Pueritiam Romæ in Romano Seminario laudabiliter exegiſſet.

(9) *Urbibus Arcadia Paſtores Olenmurre*. Celeberrima Arcadum Romæ Academia, cujus Herculanus ſub Paſtoris *Neralis* nomine Decus ingens & Ornamentum.

(10) Te INFOECUNDORUM, &c. Altera item Nobilis Academia Romæ *Infœcundorum* appellata, cujus Herculanus Præſul, Promotor, & Princeps.

EPISTOLA SEXTA.

(*) A*lphonſus Comes Aldrogbettus* ex Patavina Familia ſpectatiſſima idemque Poeta elegantiſſimus Latina Etruſcaque Muſa, quarum ſpecimen prodiit una cum Operum Jo. Antonii Vulpii Tomo 2. in 4. Patavii apud Cominum ann. 1735 Hoc de Laudibus Alvari Cienfuegos Cardinalis Carmen, quod illi Auctor miſerat, pro ſua humanitate multum probare viſus eſt. Scripſit autem illud ac recitavit Auctor ipſe Romæ ann. 1721. cum ad tradendam Rethoricam in Romano Collegio aggrederetur.

(1) ALVARUS *Alvarus Cienfuegos* vir doctrina, ac tractandorum negociorum dexteritate inſignis, Soc. Ieſu, nobili loco natus eſt in Hiſpaniis, Oppido Aguerra Ditionis ſacræ Antiſtitis Ovedi 27 Februarj ann. 1657. In Societatem cooptatus, Salmanticus Doctor, præ ceteris, Theologicas

Diſciplinas publice tradidit. Edidit autem Commentaria doctiſſima duo, *De ſumma Trinitate* alterum; alterum vero *De Sanctiſſima Eucharistiæ Sacramento*, & Hiſpanice Vitam fuſiorem Sancti Franciſci Borgiæ, præter alia, opuſcula. Carolo Auſtriaco Archiduci tum Hiſpaniarum Regi Tertio dicto, mox Romanorum Imperatori Sexto cariſſimus fuit. Ante illum autem ipſi quoque Decesſori Carolo ſecundo Hiſpaniarum Regi. At Carolus Imperator virum de ſe ſuiſque rebus optime meritum in Purpuratorum Patrum Senatum cooptari ab Clemente XI. P. M. ſummis votis enixiſſime poſtulavit, impetravitque die 20. Septembris 1720. Montis Regalis in Sicilia Sacer Antiſtes eſt renunciatus, at Romæ per multos annos ipſius Cæſaris Pio Oratora ad Romanam Sedem, quam provinciam commendatiſſime obivit. Exceſſit tandem Romæ, cum tertium ſupra octogeſimum annum jam inchoaſſet, die Auguſti 19 ann. 1739 atque in Templo Sanctiſſimi Nominis Jeſu fuit tumulatus, cum tamen in Templo Sancti Ignatii ſolemniter de more illi fuiſſet parentatum.

(2) *Mnemoſyne*. ſcilic Memoria, quaſi Diva quædam præteritarum rerum Cuſtos.

(3) *Tibiſcio*. Recitatum fuit hoc Carmen, quo tempore ingentes Chriſtianorum Victoriæ adverſus Turcas in Pannonia, & apud Temeſvariam recentiſſimæ erant.

(4) *Heſperia in media*. Deſcribitur hic Aſturum Regio in Hiſpania, ubi Alvari Patria, quæ etiam *Ovedi Aſturia* dicitur, montoſa maxime plaga.

(5) ALVARUS *hæc* Commentaria Doctiſſima *De Trinitate* ab inſigni hoc viro Theologo edita tantum tacta hic eſt mentio, quod alterum *De Sanctiſs. Eucharistiæ Sacramento* nondum illa ediderat, dum hoc carmen recitaretur.

(6) *Eſt Regio Heſperia*, &c. florentiſſimum hic Luſitaniæ Regnum innuitur, cujus Urbs princeps Ulyſſipo, quæ vox ex Græca origine *Ulyſſis Labor* interpretatur, quamque proinde, ſunt, qui dicant, ab Ulyſſe, maritimos inter errores ſuos, fuiſſe fundatam. Ceterum Luſitania a Poetis nonnunquam, inſerviendi gratia metro, *Luſia* quoque nominatur.

(7) *Dum Ptolemæum caput*, &c. P. *Joannes Baptiſta Ptolemæus* Soc. Jeſu Piſtorienſis ob Doctrinæ Virtutumque excellentiam ab Clemente XI. P. M. S. R. E. Cardinalis creatus.

(8) *Conſiriem in honore Saleranum*. P. *Joannes Baptiſta Salernus* Soc. Ieſu Conſentinus ab eodem Clemente Pontifice ob egregia merita, ac præcipue in Saxonum Ducis Primogenito ad Romanam Fidem convertendo, qui nunc Auguſtus eſt Tertius Poloniæ Rex, item Cardinalis creatus.

(9) *Diſtincta coloribus Iris*. Idem atque illud Pſalm. 44 v. 11. *Circumdata varietate*, ſive ut alia habet verſio, *Circumamicta Varietatibus*. De quibus tamen in unum Corpus coaleſcentibus, uni que Capiti ſubjectis, merito illud poteſt uſurpari *Vox diverſa ſonat Populorum, vox tamen una eſt* Mart. Ep. p. 1. p.

(10) *Pyrenes Juga*. Scilic. Pyrrheneæ, quia altiſſimis jugis ac jugibus ſive perpetuis Hiſpanias a Galliis ſeparant.

(11) *Audiet hæc Siculo*, &c. nominantur hic præcipua aliquot Siciliæ Loca, ad ſignificandas Montis Regalis Inſulas in Sicilia prope Panormum, quibus Cardinalis Alvarus Cienfuegos, poſt Purpuram, inauguratus fuit.

EPISTOLA SEPTIMA.

(*) P. *Joannes Baptiſta Spinula* Soc. Ieſu, ex nobiliſſima Januenſi Familia germanos fratres habuit duos item e Societate, ſcilicet *Paulum* vitæ Sanctitate illuſtrem, & *Carolum* Oeconomicis rebus religioſis aptiſſimum. Fuit ipſe prudentia inſignis, atque ideo *Georgio* item fratri ſuo S.R.E. Cardinali Innocentii XIII. P. M. A ſecretis Reipublicæ cariſſimus. Poſt varios in Societate laudabiliter obitos Magiſtratus, dum Germanicum Hungaricum Collegium in Urbe Rector curaret, pie exceſſit.

(1) *Coſmi*. Coſmus Tertius Medices Magnus Etruriæ Dux Sextus Chriſtianorum Principum exemplar luculentiſſimum.

(2) *Faber ad Janum*, vulgo *Fabriano* Picena Civitas, quatuor olim inter Oppida inſignia Italiæ recenſebatur, quæ, cum inter Urbes ſeu Civitates non computarentur, eoquod propria Sacro Antiſtite deſtituerentur, opulentiora tamen & celebriora multis Urbibus ſeu Civitatibus erant. Ea autem fuerunt *Barulum* in Apulia, vulgo *Barleta in Puglia*, *Pratum* in Etruria, vulgo *Prato in Toſcana*, *Crema* in Inſubria, vulgo *Crema in Lombardia*, & *Fabrianum* in Piceno, *Fabriano nella Marca*. Porro nunc ſingula propriis ſub Antiſtibus Civitatis titulo jamdudum gaudent.

(3) *Altera Picenis*, &c. *Aſculum Picenum*, vulgo *Aſcoli della Marca*, ad diſcrimen *Aſculi Appuli* Aſculum Picenum, inquam, Urbs elegantibus ædificiis ac viis ædificata eſt, atque exculta uſque adeo, ut cum pulcherrima Urbe Etruriæ Principe conferri poſſe accolis viſa ſit. Unde & *La Fiorenza della Marca* fuit nominata.

(4) *Inter Urbs amneſque jacens*. *Interamna Umbriæ*, nobis *Terni*, ad diſcrimen *Interamnæ Samnitum*, vulgo *Teramo*. Sunt & aliæ *Interamnæ* duæ in Campania in Ditione Sorani Ducis, vulgo *l'Iſola*, *e l'Iſoletta*; quæ omnes de fluminum ſive amnium vicinia hoc atque binas illas alluentium, nomen ſortitæ ſunt.

(5) *Typhernum* vulgo *Città di Caſtello* Urbs Umbriæ prope Tiberis curſum ſita, in qua optimates Familiæ nobiliſſimæ.

(6) *Monte* .... *Politum*, modo *Monte Pulciano* parvum ſed excultum ac prænobile Etruriæ Oppidum; unde viri clariſſimi prodierunt plurimi, & Cardinales Celeberrimi, præcipue vero *Marcellus Cervinus*, qui & *Marcellus ſecundus* Pontifex Maximus, *Robertus Bellarminus*, *Robertus de Nobilibus*, Cardinales item, *Tauruſius*, *Ricius*, &c.

(7) *Rupe caput vastura domus*, &c. Collegium Soc. Ieſu Viterbii non admodum ſtabilibus fundamentis ſuffultum undique, ajunt, unde & quotidie ibidem degentes Socii Beatum Franciſcum Borgiam, Patronum ceteroquin Civitatis, communiter ad hoc contra Terremotus in auxilium invocare ſolent.

(8) *Piſtoris ſed atque ſedes*. *Piſtoria* Urbs Etruriæ nobilis. In ejus agro Catilinam cum ſceleratorum exercitu conſediſſe primum, dicent mox prælio victum concidiſſe, atque ob inſepultorum cadaverum putorem corrupto ex aere peſtem ſæviſſimam fuiſſe exortam; a qua peſte, deinde Oppido Nomen factum *Peſtorium*, ac deinde *Piſtorium*.

(9) *Pratenſibus Hortis*. In Urbe Etruriæ exculta atque amœna, nobis,

Pra-

Prato, Collegium Convictorum adoleſcentium jam tum florens ſub PP. Soc. Jeſu inſtitutione, vulgo *Collegio Cicognini*, de nomine Fundatoris appellatum.

(10) *Atlantide Maja.* Mercurium intellige Majæ Filium Mercatorum numen, ut eſt in fabulis. Ab hoc prohiberi nonnihil ac præpediri Litterarum Studia Liburni, Auctor hic ſignificat, nec immerito: cum enim ea Civitas mercatoribus redundans, mercaturis ut plurimum ſit intenta, Litterarum idcirco ſtudia ſecundum habent.

(11) *Epidaurum*, ponitur hic juxta multorum ſcriptorum pro *Ragusa* aut *Ragusi*, Urbe ac Republica in extrema. Dalmatiæ: quam tamen prope Vetus Epidaurum, ſive Epidaurium conſurrexiſſe, melior ac verior videtur ſententia; cum Epidauri inclytæ olim. Urbis Locus propterea exiſtimetur fuiſſe ubi nunc dicitur *Ragusi vecchio*.

(12) *Quod verum atque decens*, &c. Theologicarum Diſciplinarum ſtudium ingredi Auctor, cum hæc ſcriberet, mox debebat. Uſurpavit autem hic Horatii verſus perplures ex Ep. 1 p. utpote ſuo argumento convenientiſſimos, quod & ubique paſſim, ſe non inſcienter, neque furtim feciſſe, ſemper profitebatur.

EPISTOLA OTTAVA.

(1) T*riſte bidental.* Locus nimirum fulmine ictus, ubi a veteribus oves mactabantur, ad Jovem ararum placandum: a voce *bidentes*, *bidental* appellatus. Loca porro hujuſmodi ſuperſtitioſe priſci vitabant. Ita Perſius Satyra 2.

Triſte jaces lucis, evitandumque bidental.

(2) *Tabulis ve reum virorum.* Indicantur tabulæ, vel album, in quo recenſebantur nomina proſcriptorum a Triumviris, Octavio, M. Antonio, & M. Lepido; de quibus Juvenalis 2. Satyra

In Tabulam Sullæ ſi dicant diſcipuli tres.

(3) *Clarare poemata vatum Dolla trium.* Jo. Antonius Vulpius olim adoleſcens eruditas quaſdam Annotationes conſcripſit atque edidit in *Catullum Tibullum, Propertium:* Sed poſtea natu major locupletiſſimis Commentariis *Catullum* enarravit.

(4) *Lucreti*, &c. Memorantur hic Auctores Patavii a *Joſepho Comino* celebri Typographo pulchre admodum & ſplendide in lucem revocati, cura & ſumptu *Vulpiorum:* quos Auctores multis modis & vario laborum genere, partim Præfationibus, Notis, Indicibus, ornavit, illuſtravit, auxit, utriſque principibus dedicavit præcipue *Jo. Antonius Vulpius*; probantibus & plaudentibus ubique gentium litteratis hominibus.

(5) *Fraternis auctus curis Celſuſque.* Eidem Cornelio Celſo Medicorum Latinorum principi, in typographia Cominiana, operam dedit *Jo. Baptiſta Vulpius* Anatomes Publicus Profeſſor in Gymnaſio Patavino, nunc emeritus: addidit Epiſtolas *Jo. Baptiſtæ Morgagni*, Anatomici celeberrimi, ad ipſum, & ſuam ad *Morgagnum*.

(6) *Cum Cajetano. Cajetanus Vulpius* Sacerdos *Jo. Antonii*, *Jo. Baptiſtæ*, & *Joſephi Rocchi*, frater: cujus aſſiduæ diligentiæ plurimum debent optimorum ſcriptorum Editiones Cominianæ, id ante omnia curavit, et plura monumenta virorum pietate ac doctrina inſignium, ſtudioſis veræ virtutis profutura, in manus hominum quam

 eitem.

emendatiſſima pervenirent.

(7) *Quæ lætis dederunt vulganda volumina.* Apud Cominum typis excuſi ſunt, *De Latio Veteri Profano* Tomi 5. Opus *Joſephi Rocchi Vulpii* e Soc. Jeſu hujus Epiſtolæ auctoris.

(8) *Quæ olim puero placuere*, &c. *Jo: Antonius Vulpius* elegantiorum literarum a puero cupidiſſimus, ut facilius ætatem ſuam omnem in illis colendis exigere poſſet, ſolitudine potius atque ſeceſſu, quam luce hominum & frequentia ſemper delectatus eſt. Id ipſe Epigrammate hoc mundiſſimo ſignificare voluit.

Uſſit me puerum doctarum forma ſororum:
Hem ego (fata jubent) urar amore ſenex.
Sic poterunt juvenes ad noſtrum dicere buſtum:
Quam tibi vita, fuit tam tibi longus amor.

(9) *Moſchina.* *Margarita Moſchina*, Veronenſis, Uxor *Jo. Antonii Vulpii*, mater familias iis virtutibus ornata; in quas, tamquam in ſpeculum, intueri poſſint nuptæ mulieres, cura & providentia ſcilicet rei domeſticæ, robore animi atque conſtantia in adverſis, maxime vero erga virum amore, cujus gravem & afflictam valetudinem ſæpius fortiter pertulit, omnique officio ac miniſterio levavit.

(10) *Morgagni*, &c. Hic mentio fit nonnullorum hominum doctiſſimorum, qui ſcriptis editis immortalibus, per Europam inclaruerunt, & quibuſcum *Jo: Antonius Vulpius* conſuetudinem, atque amicitiam jampridem junxit.

(11) *Bipatens animis* . . . . . . *aſylum*. Hoc epicheremate utitur Academia Patavina, quam Italice appellant *de Ricovrati.* Id autem ſcribitur ſuper antro Nymphaeum Homerico, quod ſibi eadem Academia tamquam inſigne ſumſit. *Ulpius Gratejus*, nomen eſt Arcadicum Romæ *Jo: Antonii Vulpii.*

LI.

LIBRO SECUNDO.

EPISTOLA PRIMA.

DE hac Epiſtola ipſa Academia Patavina publicis litteris ſic pronunciavit pro ſua humanitate: *eam ſcilicet pulcherrimam, ſacris ſtylo deductam, Lingua nitore, Eruditione, Poeticis figuris, & Optimorum Poetarum imitationi refertam.* Quę laudes Zoilis potius & Momis ad retundendas eorum calumnias, ſi quas pararent, quam amicis benignisque Lectoribus, ad aucupandam gloriolam inculcare ſonto.

(1) *Euganes Colles*, &c. Præcipua hic Patriæ loæ Auctor, & Vetuſtiora Monumenta ſimul memoravit, qualia ſunt Celeberrimi *Euganes Colles* venatibus & vineis delicatiſſimi, *Fontes Apons* a Poetis plurimum commendati ob ſalubritatem, morborumque plurimorum remedium. *Arva Patavina* pinguiſſima, ob quorum fœcunditatem vulgatum illud per Italiam circumfertur proverbium, *Bologna Graſſa, ma* PADOVA LA PASSA. Mœnia antiquiſſima & multiplicia, quæ nempe circuitu triplici tripliceam velut, Urbem ambiunt, flumineque circumflua. Duplex hoc eſt Urbem ipſam & Agrum alluens pluribus locis, ita ut in Agro Patavino nullus ſit pagus qui a Flumine diſtet plus quam milliaria quinque. Nomen utrique Fluvio apud Antiquum Latinos *Medoacus*, alter vero major alter *minor* dictus, modo *la Brenta*, & *il Bacchiglione*, &c.

(2) *Qualem ego Te aſpicio*, &c. *Venerabilis Dei ſervus Gregorius Barbadics Cardinalis & Antiſtites Patavini Corpus ex* antiquo ſepulcro eductum anno ſalutis 1725., triginta prope ante annos in altiſſima atque humentiſſima fovea tumulatum cum fuiſſet, integrum ex-

hilominus, intactum, atque incorruptum omnino repertum eſt, utque evidentius res miraculo eſſet; veſtes omnes, quibus contectum fuerat, atque arca ipſa lignea, intra quam fuerat collocatum, corrupta penitus apparuerunt.

(3) *Ut Byzantinus*, &c. Celeberrima eſt Divi Joannis Chriſoſtomi Byzantini Antiſtitis Hiſtoria, quod ſcilicet, cum demortui cadaver Theodoſii Junioris juſſu ex Cumana Ponti, ubi ærumnis confectus Vir ſanctiſſimus in exilio deceſſerat, Byzantium delatum fuiſſet, inter alia divinitus parata prodigia, illud ſtupendiſſimum operatum eſt. In ſua nempe ſede poſitum ut communibus Populi vocibus hoc enixe expoſcentis fieret ſatis, os, tamquam ſi viveret, miraculo aperuiſſe, & in omnium auribus bene precandi formulam conſuetam ſacris Antiſtibus protuliſſe. *Irene paſi Pax omnibus*.

(4) *Aerias Alpes* Sacra Patavini Antiſtitis Ditio vaſtiſſima eſt, & ad Tridentinas uſque Alpes pertingit, prærupt as, frigore, nivibus, aſperitate aſcenſuque difficillimas ad adeundum; inter eos præcipue pagos, quos vulgo dicunt *Le Sette Comuni*.

(5) *Inclyta Franciſcus*, Significatur hic *Joannes Franciſcus Barbadicus* Cardinalis, & Patavinus Antiſtes Venerabilis Gregorii fratris filius, ejuſque virtutum imitator egregius, Patruique ſanctiſſimi veræ gloriæ promotor ſtrenuus.

(6) *Arcadas incertus*, &c. Dum hæc Epiſtola ab Auctore ſcriberetur, contigit Romæ, ut celeberrima *Arcadum Academia*, ſive *Paſtorum Arcadum Cœ-*

 tus,

mo, qui diverſa hactenus ſedem mutaverant, quò ſeſe in unum cogerent, & congregarent ad carmina publicè recitanda, liberalitate ac munificentia *Joannis Quinti Luſitaniæ Regis*, *Arcadiæ Paſtoribus acclamati*, ſtabiles ſedes adepti fuerint, & in Janiculo Monte *Parrhaſium Nemus* conſtituerint, cum antea Palatinum Aventinumque mutaſſent, aliaque Urbis loca inſtabiles ſuiſſent pervagati. Illos autem ad cantum in Venerabilis Gregorii Barbadici laudes ſe ſollicitaturum Auctor hîc irò proſi-teatur, quod unus ex illis eſſet, *Stamir Cromeo* nomine.

(7) ARISTALGUS. Nomen Arcadicum Joannis Franciſci Barbadici Cardinalis.

(8) *Certabit in antro*. Scilicet Academici ipſi Patavini, qui dicuntur *Li Ricovrati*, & de quorum Epicheremate, ſcilicet antro Nympharum Homerico dictum eſt a nobis Epiſtola ultima Libri primi. Vid. notas ipſam nu. 12. Huic autem Accademiæ accenſitus & Auctor fuit.

EPISTOLA SECUNDA.

(1) F*Allimur*, &c. Imitatum ex Virgilio Æneid. 6. in fin.

Sunt geminæ Somni portæ; quarum altera fertur
Cornea, quâ veris facilis datur exitus umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto,
Sed falſa ad Cœlum mittunt inſomnia manes.

(2) *Gallia teſtis adest*. Joannes Aloyſius Mocenicus Venetus Senator ampliſſimus, antequam Romæ ad Supremum Christianorum Pontificem, fuit Pariſiis ad Christianiſſimum Galliarum Regem Orator pro Patria Republica, ſuaviſſimiſque moribus utrobique omnium animos ſibi devinxit.

(4) *Tu nuper mihi Phœbus eras*, &c. Italicum ſuum Epigramma Auctor hîc verſibus in latinum tranſtulit, quod ſic habuit, ad Jo: Aloyſium Mocenicum, cum Divi Marci Procurator ex merito creatus in expectatum Roma Venetias reditum pararet.

Mio Sol, di voſtra Luce e voſtro Foco
(Qual ſerpe allor che in Ciel Tauro s'accende
Luſtro e vigor con nuova ſpoglia prende)
Mentre mi alluma e ſcaldo, e non un poco,
Qual nuovo ſoglio Turbo entro e ſuso
A mezzodì ſta, e ad altro ſuol vi rende?
Quale atra agli occhi miei notte diſcende
Di Fortuna inſolente amaro Gioco?
Ma l'impeto del duol mal mi traſporta,
Se a me il Tramontan diſparir ſi mira,
Il natio Polo a illuminare ha tolto.
Così è, mia Bella, Santa, e Trionfà Serena,
Felicemente a Notte avete il Giorno
Corſo, che a Veſpro appena altro avrìa ſcolto.

Alludit autem ad præcoces mortorum ſuſceptos fructus ab Excellentiſſimo Viro ea florenti ætate, quâ cetera vix prima ſemina jactare ſolent; ſive ad emenſum honorum ſtadium atque curriculum adeo mature, ut æquales pauciſſimos poſſis oſtendere. Ceterum ſerpentis ſimilitudo ex illo Virgilii deſumta eſt Æn. 2. v. 471.

Qualis ubi in lucem coluber mala gramina paſtus,
Frigida ſub terra tumidum quem bruma tegebat;
Nunc poſitis novus exuviis, nitidusque juventa,
Lubrica convolvit ſublato pectore terga
Arduus ad ſolem & linguis micat ore triſulcis.

De

De Ludo autem Fortunæ inſolenti Horatianum illud pulcherrimum eſt. Od. 29 l. 3

Fortuna ſævo læta negotio
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.

De horis autem diei Nona & Veſpertina ceterisque ſingillatim ſæpe loquitur Etruſcorum Poetarum Lyricorum Princeps Franciſcus Petrarca.

(4) *Purpura Olorinis cesserit atque Togis.* Scilicet *Candida, Oloris, aut Cygni instar.* Supremi Venetæ Reipublicæ Duces candida chlamyde Ponticis muris pellibus exornata uti ſolent, Divi autem Marci Procuratores Toga Purpurea.

Ceterum in hac Epiſtola ceteriſque Elegiacis hujuſce ſecundi Libri ſecutus eſt Auctor Propertium ſæpius, & Catullum identidem, quam reliquos Veterum Poetarum, quod Naſonianamet fortaſſe illi vitio verterint. Hi tamen, ſi qui forent, ad Julii Scaligeri Poeticam Artem, ampliſſimis pro reſponſis, quibuſque abunde ſibi fieret ſatis, amandarentur. Certe Græcorum Elegiacorum hæc eſt imitatio, & aurei Catulli, aureique Propertii, & gravitatem ac majeſtatem quamdam cum ſuavitate temperatam hæc ſcribendi Elegiaci Carminis ratio præſefert Ovidiana multo præſtantiorem. De quo tandem illuſtriſſimorum ſeculi Decimiquinti, quin immo & noſtri hujuſce purgatiſſimi, Latinorum poetarum judicium ſapientiſſimum eſto.

EPISTOLA TERTIA.

(1) ANTONELLE. *Philippus Comes Antonellus* Pergulanus Patricius Senogallienſis Muſarum, & Belli ſtudiis clarus, inter Arcadas Paſtores illuſtris, & ad Bondenum militiæ laude.

(2) *Bondenus.* Locus eſt in Pontificiæ Ditionis finibus prope Ferrariam, & juxta Padum, qui Pontificiis, præſidiis muniri conſuevit. Vulgo *Bondeno*, & *Ospitale di Bondeno* juxta eumdem Tractum.

(3) VICTORIA &c. Lectiſſima Femina *Victoria ex Comitibus Marazzanis* Parmenſis prima Philippi Comitis Antonelli uxor.

(4) CATHARIS. *Catharina ex Comitibus de Castracane* item femina nobiliſſima, altera Philippi Conjux a Fano Fortunæ, quæ Civitas ab Julio Cæſare deducta Romanorum Colonia, in antiquis monumentis dicitur *Colonia Julia Fanestris.*

(5) NICOLAUS. Illuſtriſſimus Prætul *Nicolaus Maria Antonellus* duorum ſummorum Pontificum Clementis XII. & Benedicti XIV ab Honorario Cubiculo V. S. Referendar. Pontificiarum Bullarum unus ex a ſecretis Tabularii Pontificii, quod in Hadriana Mole ſervatur, Cuſtos, Expergandis, Orientalium ac præcipue Græcorum Librorum inter alios Præpoſitus Baſilicæ Lateranenſis Canonicus, vir moribus & doctrina ſpectabilis.

In hac quoque Epiſtola unitario Catulli ſunt diſticha compluta, in quibus orationis ſenſus ſuſpenditur, quod Ovidianas auriculas poſſit non nihil aſperitate offendere, quæ ſingulis diſtichis, atque etiam monoſtichis fintas periodos conſueverunt audire. Eu Virgilio quoque plura, & Propertio, & ex Claudiano pariter unum alterumve mutuatum, minime diſſimulandum.

EPISTOLA QUARTA.

(1) BENEDICTE. *P. D. Benedictus Campoſampiero* ex antiquioribus & clarioribus Patavinæ Patriciis Familiis, eximia doctrina, & virtutum dotibus vir clariſſimus Ordinis Olivetani, Sacræ Theologiæ Lector ab annis plurimis, & in Vinea Domini Operarius indefeſſus in proximorum ſalutem per multos annos Romæ.

(2) *Mea &c. Chriſtina Zeno* mater familias Chriſtianiſſima, ea improviſo olim extincta Auctoris genitrix.

(3) *Euganeos Colles* Sunt hi celeberrimi *Colles Euganei* atque amœniſſimi Urbis Patavinæ, quique delicatiorem & faciliorem Patavinæ Agri partem conficiunt. *Aponus* nunc *Abano* medicatis fontibus commendatiſſimus *Mons celſa ſilex*, quem alii *Montem* quoque *Celſum* appellavere, vulgo *Monſelice*, ab prærupta *ſilice*, cui oppidum excultum aſſidet, & in qua olim Arx fuit inacceſſibilis, denominatus, *Monte Rucca* propter ipſum, ab ubertate, qua dominos ſuos *divites* facit *Eſte*, Latinis *Ateſte*, ſive *Ateſte*, Oppidum perurbanum, & fructuum commercio abundans, uvarum præcipue delicatiſſimarum laude percelebre, quibus ea nomina *Marzemine de monte bianca e negre*, *Garganega*, *Grapella*, &c. Inde nobiliſſima Ateſtinorum Principum Familia cognomen deduxit. *Monte Roſſo*, *Monte Merlo*, *Monte Ortone*, ubi Deiparæ ſacra ædes eſt, & imago prodigiis clara. *Cerro*, *Calaone*, *Rua*, ſilvis ac nemoribus frequens, inter quæ incolunt ſolitarii Viri ſancti Romoaldi aſſeclæ e Congregatione Montis Coronæ. *Arquæ*, ubi adhuc Domus & Sepulcrum celeberrimi Franciſci Petrarchæ viſitur. *Cinto*, & *Venda*, omnium Euganeorum montium altiſſimus, in cujus vertice Olivetanorum P. P. ſedes eſt. Hic Dianæ Bendidiæ dicatus locus olim fuiſſe perhibetur. De quo videndus Laurentius Pignorius in originibus Patavinis. *Montare in cima a Venda* familiare eſt Patavinorum adagium, ad locum altiſſimum ſignificandum.

(4) *Euſebii . . . . . Vallem*, &c. Vallis Sancti Euſebii, *Val Sant' Euſebio*, & corruptius paſſim *Val San Zibio*, peramœnus Locus, quo jam in *Montalbanorum* & *Burdegatorum* nobilium Patavinorum Civium Villam convenire ſolebant Poetæ plures peranobiles; præſertim vero *Jo. Antonius Vulpius* Auctoris frater, *Antonius Zeno* ejuſdem avunculus, & *Mattheus Burdegatus*, quorum editis in carminibus Vallis hujus, amœnarumque in illa habitarum ruſticationum, fit mentio.

(5) *Ad Tugium*, &c. Cultum & amplum Oppidum *La Battaglia*, ubi celebres conficiendarum Chartarum ſunt Officinæ. Prope hunc locum viſitur magnificentiſſima Obizziæ Gentis nobiliſſimæ Villa, vulgo IL CATAJO *Del Marcheſe Obizzi*. Eſt pariter in ea Vicinia Deiparæ ſacra Ædes *La Madonna del Tignezo*. Duobus ex hinc milliaribus Patavium verſus, eſt *Mezza via*, Mox *Terra dura*, *Joannis Baptiſtæ Vulpii* fratris deliciæ.

(6) *Veſtit Ripa* P. P. Olivetanorum Domus *Alla Bruera*.

(7) *Patavinaque Littora*. Villæ in Agro Patavino, juxta Medoaci Ripas anguſtiſſimas, ſcilic. *Lungo la Brenta*.

(8) *Portam moratur aquas*. Machinæ illæ artificio plurimo extructæ, quibus Medoaci fluminis aquæ, qua Patavio Venetias itur, ſuſtentantur, & intercluduntur, emittunturve, prout res poſcere ad plurimas utilitates, judicatur.

tur. Vulgo *Porte della Brenta*, ſunt autem *Le Porti Contarine, di ſtrà, del Dolo, della Mirà, del Moranzan.*

(9) *Lenis ubi nautis*, &c. In his verſibus, eoſque ſecutis, uſus eſt opportune Auctor multum Horatio ſuo, Satyra Libri primi quinta, in qua iter deſcribitur habitum a Poeta per Foſſam, in quadam Appiæ Viæ parte. Opportune, inquam, non enim ita ovum ovo ſimile eſt (quod priſci ajebant) ſicuti ea itineris Horatiani deſcriptio iis convenit, quæ in meritoria cymba ultro citroque Patavio Venetias commeantibus diuque noctuque contingunt. Noctu tamen potiſſimum, in ea quæ dicitur *La Barca da Padova.*

(10) *Petri ... Campum.* Oppidum ſive Caſtrum excultum, & perantiquum, in Agro Patavino, *Camposanpiero* appellatum, unde cognomentum traxit Gens nobiliſſima Patavina *Comitum Campi Sancti Petri.* Hic in Ædibus *Tiſonis Magni* Comitis Campi Sancti Petri hoſpitatus eſt Glorioſiſſimus Divus Antonius Taumaturgus, licet Luſitanus, attamen Patavinus appellatus. Hic inter ulnas excepiſſe Puerum Jeſum amantiſſime traditur, Divini ſpectaculi piiſſimus Hoſpitator Tiſo conſors & particeps factus feliciſſime, memoratur.

(11) *Parenti*, &c. *Jummi Dominicus Vulpius* Auctoris pater & *Joannes Antonius, Joannes Baptiſta, & Cajetanus* ejuſdem germani fratres.

(12) Cum *Conſorte tori. Margarita Moſchina* Veronenſis, conſtantiæ, & conjugalis amoris exemplar.

(13) *Cœleſtes Patroni.* Ita Quintus Catulus apud Ciceronem, hanc vocem *Cœleſtes* ſubſtantive poſuit, ut eo illo Epigrammate. De Nat. deor. lib 7.

Conſtiteram exorientem Auroram forte ſalutans,
Cum ſubito a læva Roſcius exoritur;
Pace mihi liceat, COELESTES, dicere veſtra,
Mortalis viſus pulchrior eſſe deo.

Innuit autem hic Auctor hujus Epiſtolæ Cœleſtes Divos Patavinæ Urbis Patronos. Præcipue vero *Linguam Divi Antonii* tot jam ſæculis miraculo integram atque incorruptam. *Beatæ Juſtinæ* Magnificentiſſimum Templum ſtructura non minus ac pretioſa ſupellectili, quam plurimorum Sanctorum Reliquiis inſigne.

(13) *Sophiæ.* Ædes antiquiſſima Patavii, quam primarium olim ac Principem totius Urbis Templum fuiſſe memorant, quamque *Divum Proſdocimum* Beati Petri Diſcipulum primum Patavinum Antiſtitem, Græcum Antiochenum, Græco *Sophiæ* vocabulo, *Divinæ Sapientiæ*, ſive *Verbo Divino Dei Filio* ſacraſſe, tradunt. Apud hoc Templum incolunt nobiles ac Religioſæ devotæ Virgines ſub Regula Sancti Benedicti, quas inter *Maria Angelica*, & *Maria Antonia* Auctoris germanæ ſorores.

(14) *Poſt Claræ.* Scilicet poſt Claræ Sanctiſſimæ Aſſiſiatis templum. Sub ejuſdem inſtituto Religioſiſſimæ degunt Virgines, quarum una *Maria Chriſtina Tereſia* Auctoris item germana Soror.

(15) *Syracuſia ... Ornato nuper Virginis in Gremio.* Scilic. Divæ Luciæ Virginis Syracuſanæ ſacra Ædes, ubi Vulpiorum Sepulcra.

(16) *Zene. Antonius Zenus* Avunculus, pietate, doctrina, obitu claris muneribus clariſſimus, apud ſuam quam ſanctiſſime plurimos annos procuraverat, Divi Cantiani Ædem, Patavii, tumulatus; cujus ſepulcro ab ſeo Antonio Vulpio ſororis filio elegantiſſimum Carmen appoſitum eſt hujuſmodi.

Hic ANTONIUS ille ZENUS oſſa
Mandavit ſua ſedibus locari,

Dum

Dum tuba ſonus excitet jacentem
Ille ANTONIUS, *ille, qui tot annos*
In Divi fuit Æde CANTIANI
Rector ſedulus, elegans, diſertus:
Quem ſera domitum licet ſenecta
Luxerunt lacrymæ omnium bonorum.
Hunc Clementia Numinis ſupremi,
Et magnæ favor annuat Parentis,
Quam Sanctè coluit, toluque juſſit.
Hic migrare domo domum ad beatam.

(17) *Hac deo terrarum*, &c. Ita antiquum Carmen

(18) *Omnis Romana*, &c. Propertius lib. 3. Eleg. 19.

(19) *Hac, alias inter*, &c. Virgil. Eclog. p.

(20) *Kalendas*. Scilic. Primam Novembris menſis diem anni 1741.

EPISTOLA QUINTA.

(1) *Carole*. P. *Carolus Mandoſius* Soc. Jeſu, Romanus ex illuſtri Familia, quæ Litteratos viros produxit, Poeta Latinus, ac præcipue Elegiacus mitiſſimus, & in excitandis affectibus experientiſſimus. Poſt prælectam in Romano Collegio Rethoricam plures annos, Prati in Hetruria deceſſit.

(2) *Seu rapta eſt*, &c. Innuuntur hic Elegiarum Mandoſianarum argumenta præcipua, in quibus miriſice humani affectus deſcribebantur, excitabanturque in auditoribus ac lectoribus, quorum excellentiam miratus auctor hanc Epiſtolam admodum adoleſcens deproperavit, ac Mandoſio tradidit, cujus Collega in Humanioribus tradendis diſciplinis fuerat, ſenis non. ſal. 1721.

EPISTOLA SEXTA.

(1) *Juli. Julius Amalfitanus* Marchionis Cruccoli filius natu maximus olim Seminarii Romani Convictor. Eſt autem Crucculum in Calabria Oppidum peramœnum, & fertile, ac populo frequens.

(2) *Exercent*. Sic Ennius ipſe in ſepulcrali Lapide, quem ipſe ſibi vivens poſuerat, juxta Sepulcrum Scipionum in Appia Via: *Hic vertunt veſtram maximu facta Patrum*.

(3) *Virgilium*. Ita Virgilius ipſe ſepulcro ſuo juxta Neapolim inſcribendum curaverat.

Mantua me genuit CALABRI RAPUERE, *tenet nunc*
Parthenope; cecini Paſcua, Rura, Duces.

(4) *Et domina procul Urbe*. Neapolim intellige. Regni enim Neapolitani Principes Viri procul libenter ab ea Urbe, degunt ut plurimum, & *Condit quiſque diem Collibus in ſuis, & vitem viduas ducit ad arbores*, juxta Horatianum illud Od. 5. l. 3. &c, ut Claudianus ille ſenex proxime Veronam in Epigram. *Felix qui patriis*, &c.

Indocilis rerum, vitæ neſcius Urbis,
Aſpectu fruitur liberiori poli.

EPI-

Google

EPISTOLA SEPTIMA.

* Coſmus de Angelis Bargæ in Hetruria Marchio, tunc temporis Seminarii Romani Convictor, in cujus gratiam ſcripſit Auctor hanc Epiſtolam, eique publice recitandam tradidit.

(1) *Divina Mater Amoris*, Virgo Deipara ex imagine ſua apud Collegium Imperiale Matritenſe in Hiſpania Beato Aloyſio orandi conſuluit, interiore quidem, ſed certa emiſſa voce, ingreſſum in Societatem Jeſu. Unde Imagini eidem *A Bono Conſilio* nomen eſt factum, vulgo *La Madonna del Buon Conſiglio*.

(2) *Hac velit & Mater.* Martha Jana piiſſima & lectiſſima Femina Sancti Aloyſii Mater illum Divino mancipavit obſequio ipſo ab utero, in ejus partu, & in Lauretanæ Domus acceſſu.

(3) *Hoc quoque crudelis.* Ex impetu quodam amoris ſimul atque doloris hoc dictum fingitur, ad Jobi ſanctiſſimi imitationem; qui tamen in omnibus his non peccavit labiis ſuis, cum dixit: *Mutatus es mihi in crudelem.* Job. c. 30. v. 21.

(4) *Aut jubeas.* Retinentiſſima eſt Societas Jeſu moris ſui (quidquid aliquando calumnientur inimici) ne quemquam, ex nobilibus præſertim adoleſcentibus, in Coetum ſuum admittat, niſi proximorum conſanguineorum bona prius venia impetrata, genitorum præcipue. Hic itaque B. Aloyſius quoddam quaſi ab hac Lege privilegium rogat, aut imperari ſibi, aut ſaltem permitti ſibi a ſæculo fugam. Quod tamen ab Sapientiſſimo Claudio Aquaviva non impetravit. Sed bona Patris ſui venia tandem obtenta, Romam venit, &c.

Quamvis autem Sanctiſſimi Juvenis ſcholarum S. J. per Univerſum Terrarum Orbem Patroni beneficentiſſimi laudibus pleni ſint omnes Libri, plenæ ſapientum voces; *Et ſit nulla manus, cujus non pollice dicta Teſtantur memores proſpera vota notæ*: Auctor nihilominus hujus Epiſtolæ pro ſua in peculiarem ſibi Patronum a primis uſque unguiculis pietate, paucula, quæ Libenti in Claſſe Rhetorica, dum ibidem eam facultatem biennio traderet, publica ſui ſuorumque auditorum eruditæ pietatis in Beatum Aloyſium Monumenta reliquit, hic quoque attexuit.

Sub imagine igitur, Beatiſſimum Adoleſcentem modeſtiſſimum Verecundiæ Exemplar exhibente, hæc apponenda curavit.

Deſine mendaci ſpeculo componere formam
O Juvenis. LODOIX ſit ſibi pro ſpeculo.
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.
Tuque ſic oculos, ora manuſque feras.

Addidit quoque Epicheremata, vulgo *Emblema, o Impreſe*, præcipuas Sancti Aloyſii complexa virtutes. Sæculi fugam avis evolans ruptis laqueis ſignificabat: huic appoſitum illud Horatii. *Negata tentat iter via*. Od. 2. l. 3. Aetna mons flammas in vertice vomens, & prope nives intactas ſervans Beati Aloyſii innocentiam candidiſſimam, inter perverſi ſæculi flammas, & aulæ incendia: huic inſcriptum celebre illud Claudiani. *Scit nivibus ſervare fidem.* *De Rapt. Proſerp.* l. 1. Item ſalamandra inter ignes integra cum Inſcriptione: *Incendia vides.*

 Ex

Ex Hor. Ep. 5 l. 2. Heliotropium ſolem ſeſe convertens, aſſiduitatis in Beato Aloyſio intentique in Deum amoris & intuitus ſymbolum, cum Epigraphe *Quemcumque rapit* ex Horat. Ep. 1. l. 1. Modeſtiam Beati Juvenis dotes ſuas occultantis innuebat cupreſſus alte creſcens, *ſed Occulti Ævo* ex Horat. Od. 12. l. 1 *creſcit, occulto, velut arbor, ævo fama Marcelli.* Pacem vero ab Aloyſio inter Vincentium Mantuæ Ducem propinquum ſuum, & germanum fratrem Rodulphum compoſitam advento *ipſo*, ſignificavit columba ad Noemum in Arcam rediens & pacifera ramum Olivæ ore ferens, cum notis *Pacem pro munere donat*, ex Taceto. Tranquilliſſimam Sancti Aloyſii mortem, qua imminente cecinit ſuaviſſime: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus*, & ad ſe accedentem geſtiens conſulatus eſt, dicens, ac repetens *Lætantes imus, lætantes imus*, hanc inquam, tranquilliſſimam mortem aptiſſime repræſentavit Cycnus canendo moriens, cum inſcriptione *Sic ubi fata vocant*. Ex illo Ovidii Herod. Eleg. 7 pulcherrimo:

Sic ubi fata vocant, udis projectus in herbis
Ad vada Mæandri concinit albus olor.

Aſperrimas corpuſculi aſflictationes in Juvene innocentiſſimo & verecundiſſimo adumbravit Roſa ſpinis circumdata, cum Epigraphe. *Pudor armat in hoſtes.* Virg. Æn. l. 10. v. 398. Cœleſtium aſſiduam contemplationem, Aquila fixis obtutibus ſolem ſpectans, cui ſuit inſcriptum *fixis Obtutibus hæret*. Ex Anonymo Lilium inter ſpinas item Innocentiam cum *Pœnitentia*, ut vulgo dicitur. Notæ: *Præſidium & Decus*. Ex Horat. Od. par. lib. pri.

Avitum Principatus contemtum, manus ad terram inconam inverſam jacens, huic inſcriptum *Merſis profundo pulchrior evenit*. Hor. od. 4. lib. 4. Aſſiduum ſuperos precandi ſtudium, concha in medio mari aperta; cum lemmate: *Cœleſtis origo*. ex Virg. Æn. lib. 6. v. 730 Avis autem, quæ dicitur *Paradiſi* Græcis *Apus* dicta, h. e. *ſine pedibus*, cœleſtem Beati Aloyſii converſationem tantum huic appoſitæ notæ *Spernit humum fugiente penna*. Ex Horat. Od. 2. lib. 3. Plagas, quas vario flagellorum genere ſibi imponebat incognitus & occultus interiorque hic Miriçyi, innuere potuit turbo, *nobis il turbine, la trottola*, cui Virgilianum ſuum appoſitum eſt.

Dant animos plagæ. Æn. l. 7. v. 383.

Culpas illas ſeu Nævas vel minutas, vel nullas omnino, quas in ſe deprenſas tantopere deflevit Aloyſius, adumbravit ſpeculum nævis nonnullis maculis, ſed maxime ſplendentibus inſperſum, cum inſcriptione *Maculis inſignis* Virg. Georg. 3 v. 56 Conſtantiam in virtutibus extremum ad uſque ſpiritum, adamas malleo fruſtra percuſſus cum litteris, *nullo penetrabilis iſta*. ex Ovidio. Stemma denique Beati Aloyſii ſive Inſignia, vulgo *l'Arme*, Gentis Gonzagæ nobiliſſimæ, quod manus repellit, Principatus item Aviti contemptum ſignificans, cum celebri illo Juvenalis ſatyr. 8 v. 1 *ſtemmata quid faciunt?* Et Gonzagæ Gentis & Familiarum Arbor Genealogica, quam manus pariter velut eradicat; cum inſcriptione *Et genus & Nomen inutile*, ex Horat. od. 14. lib. 1. Hæc Omnia Aulam illam Rethoricæ Liburni exornare adhuc audimus, & Dedicationes duas Græcam alteram, alteramque Latinam Patrono eidem Sanctiſſimo Aloyſio ab Auctore factas. Qui etiam Theologicorum ſuorum ſtudiorum pro abſoluto feliciter curriculo, Magno, quem vocant,

cant, Actu inanimente, immortales haſce Divo ſuo Gratias egit.

Dive fave: portum jam jam tetigere carina,
Apparetque oculis terra petita meis.
Affer opem: lacero ſubeunt dumque Oſtia velo,
Turpius, ah caveant, eſſe, naufragium.
Fixerit at certa mihi pes veſtigia terra,
Hoc tibi perpetuo in Marmore Carmen erit:

GONZAGÆ IMMENSO QUOD RAPTUS AB ÆQUORE PORTUM INCOLUMIS SALVA CUM RATE CONTIGERIM.

EPISTOLA OCTTAVA.

(*) Sanctus Joannes Franciſcus Regis Soc. Ieſu, Gallus, ardore populos ad bonam reducendi frugem, & plurimorum laborum ſacris in Expeditionibus toleratorum maxime illuſtris, in perditis mulierculis a vitiorum cœno educendis, præcipue enituit, unde a furibundis amatoribus incredibiles penas retulit, apertoque in vitæ diſcrimine perſæpe verſatus eſt. [illegible] nihilominus in illum conatus omnes fuerint, ut ab incepto deſiſteret; utpote adhibet in *Juſtum & tenacem propoſiti virum* (quem) *Non Civium ardor prava jubentium, non vultus inſtantis tyranni Mente quatit ſolida: neque Auſter Dux inquieti turbidus Adriæ, nec fulminantis magna Jovis manus. Si fractus illabatur Orbis, impavidum ferient ruinæ*; ut pulcherrime Horatius Od. 3. l. 3.

(1) *P. Franciſcus Grimaldus* Soc. Ieſu paucis ab hinc annis extinctus, celebris Poeta Elegiacus Didaſcalicus; cujus editæ habemus Opuſcula Tria admodum elegantia. Scilic. I. De Vita Urbana. II. De Vita Oeconomica. III. De Vita Aulica.

EPISTOLA NONA.

(*) Franciſcus Maria Lellantius Sacerdos Fulginas, Philoſophiæ ac Theologiæ Laurea inſignitus, Humanioribusque Muſis excultus Librum Veteris Latii Decimum-Tertium *De Aricinis* ab Auctore hujus Epiſtolæ Latine cum ceteris conſcriptum, in Hetruſcum ſermonem fideliſſime tranſtulit.

(1) *Dux Tuſcus*, &c. Librum eundem a ſe ita tranſlatum obtulit Lactantius Vulpius cum Elegiaca ſimul Epiſtola, cui noſtra hæc reſpondet.

(2) *Gaudet & intraſcit nunc mea Muſa modis. Muſa, Muſarumque* nomine non tantum verſus & verſu exarata opera, verum & proſa oratione conſcripta aliquando ſignificatur, præcipue tamen humanæ Literaturæ. Hic igitur pro *Muſa* Librum ipſum Aricinorum Hiſtoriam proſa oratione complexum intellige.

(2) *De Petro Joanne Beſtiſſa Collicola* lectiſſimus adoleſcentulus & eximiæ indolis ac ſpei, qui, ſub hujus Epiſtolæ Auctoris magiſterio, Livii Hiſtoriam a teneris unguiculis modum excipiebat, reddebatque memoriter.

(3) *Præclariſſimi Parentes. P. antiſtes Collicola* Spoletanus & Romanus Parentus, Pater, *Diana ex Marchionibus De Cavalleriis Urſinis*, primaria

item Romanis Patriciis, Mater.

(5) *Magnus Avunculus. Cajetanus de Cavalleriis Urſinus*, Nuncius pridem Romanæ Sedis Coloniæ Ubiorum; mox ad Ioannem Quintum Luſitaniæ Regem. Cardinalis a Clemente XII. P. M. deſignatus, & morte præceptus Purpuræ, dum illi Romæ ſupremâ omnia ac proſperrima vovebantur.

(6) *Patrus Purpura. Carolus Collicola* S. R. E. Cardinalis excelſæ mentis ac miræ in agendis dexteritatis vir, olim Seminarii Romani Convictor, Patruus lectiſſimi noſtri adoleſcentuli. In quem ipſum adoleſcentulum, cum e periculoſo morbo convaluiſſet, & illud luſimus Gratulatorium Hendecaſyllabon.

Gaudete, Hendeca ſyllabi, quot eſtis,
Nunc nunc plaudite, quotquot eſtis, omnes,
Meo Collicolæ, *meo ſodali,*
Qui Flos eſt Equitum & Juvencularum,
Francisci *Decus & Decus* Dianæ,
Unus Unicus, & Parentum Ocellus,
Morbo convaluit febriculoſo,
Pro quo expalluimus timore Amici,
Et pro quo Superum omnium per aras
Vota fecimus, impetravimuſque.
Cum Doctore ſuo valet Ioannes,
Cumque illo Hiſtorias legit Quiritum
Rurſum. Nec veteres ſuos ſodales
Inviſens iterum diu ſilentes
Feſtivo fovet alloquutione.
Gaudete, Hendecaſyllabi, quot eſtis,
Nunc nunc plaudite, quotquot eſtis,
omnes

ΕΡΡΩΣΟ

Havamni *Joannule* Have & Vale.

(7) *Sarmaticaſque plagas.* Vaſtiſſimas Poloniæ, & Lithuaniæ Regiones intellige, unde in Sancti Athanaſii Magni Græcorum Romæ Collegium alumni profecti ex Ordine Sancti Baſilii, Græci, ac Rutheni Ritus, qui deinde in patriam reſtituti maximo Genti ſuæ & contribulibus ſunt adjumento. Quibus, aliiſque Græcis juvenibus eodem in Collegio alumnis Lactantius noſter, optimis exemplis, & inſtitutis, dum Præfectus eorum curam gereret, plurimum profuit.

EPISTOLA DECIMA.

(1) **A** *Mphitrioniadis Colles.* Scilicet *Tiburtini*. Tibur enim Herculi ſacrum fuit peculiariter, unde ſæpiſſime appellatum *Herculeum* eſt, & Colles Tiburtini *Colles Herculei*. Fuit autem Herculus Alcmenæ Amphitryonis ſive Amphitrionis uxoris Filius ex Iove, ut eſt in fabulis. Dictuſque eſt paſſim *Amphitryoniades* ſive *Amphitrioniades*.

(2) *Arboribus .... Palladis.* Olivetis vaſtiſſimi tractus in Tiburtino. Oliva dicta eſt *Arbor Palladia*, eo quod ab Pallade inventa primum fingitur. Virg. *Oleæque Minervæ Inventrix*. Georgic. lib. 1. v. 18.

(3) *Albuneæ templa, &c.* Ædificium Tibure adhuc extans creditum dicunt quo vulgo *Il Tempio della Sibilla*.

(4) *Alexander.* Vir Clariſſimus *Joſephus Alexander Furietus* Bergomas, in Romana Curia atque Aula Præſul Ampliſſimus, integritate & Doctrina, præſertim vero Iuris prudentia, & obitis egregie muneribus publicis, ſudex probatiſſimus.

(5) *Cecropes Seu* Solon, qui Athenienſibus ſuis a Cecrope exortis leges dedit. Cecrops autem Pandionis filius Athenas fundavit.

(6) *Kalendæ, Ruri minuta dies.* Prima Novembris; qua die Tiburtinæ Autumnales Ruſticationes deſinunt ferme omnibus Romæ publica munia gerentibus.

(7)

(7) *Ceſſante Rubrica.* Legum Codices intellige. Sic. Perſ. Sat. 5 v. 90. Maſuri Sabini Legalia Reſponſa, dicuntur *Rubrica Maſuri*. *Prætertum ſi quid Maſuri Rubrica notavit*, nomen autem inde deductum, quod rubro lapillo primum ſcribere conſuevere, *rubrica* appellato. Hinc Sacrorum Officiorum leges ac ritus minio pariter deſcripta, *rubrica* nobis dicuntur.

(8) *Et modò cum Lando.* Illuſtriſſimus Præſul Franciſcus Landus Placentinus, nunc Beneventanus Antiſtes, Tiburtini ſeceſſus hactenus in paucis amator, pietate, ſeverioribuſque pariter & amœnis doctrinis, obitiſque Pariſiis ac Romæ publicis muneribus, illuſtris.

(9) *Sanctè modicamque Canali.* P. *Alexander Sancto-Canale* Soc. Ieſu Panormitanus Sacer Orator tota Italia percelebris, nunc autem Romæ, in SS. Nominis Ieſu, Sacrorum Librorum Interpres eximius.

(10) *Caterva.* Ruſticus inter voluptates accenſens nonnulli cancrorum fluvialium, vulgo *gambari*, piſcationem, ſeu venaturam: quorum copia ingens in ripis Anienis, in Tiburtino.

(11) *Duplices nivas.* Scilicet celebres illas ſapidiſſimas *Cornetta di Tivoli*, & *Pergolese di, Tivoli*

(12) *Hadriani Tractus:* nempe Vaſtiſſimæ ac magnificentiſſimæ Tiburtinæ Hadriani Cæſaris Villæ Spatia, quæ milliaria ſex gyro, & longitudine tria complexa dicuntur. Unde, tot poſt evoluta ſæcula, totque adhibitas effoſſiones, aſſidue adhuc pretioſa antiqua monumenta eruuntur.

(13) *Centauros exhibuitre duos.* Eximii Operis ſtatuas intellige duas, quas paucis abhinc annis V. Cl. Alexander Furietius invenit in Tiburtino, e ruderibus Villæ Hadrianæ refoſſas. Artis miraculum.

(14) *Aſarotas pavimenta*, quæ ſcopis minime verrenda ſunt, ſed panniis aut ſpongiis purganda & detergenda, ne corrumpantur: ex Græco σαίρω, quod eſt *Verro*, & *alpha privativo*: hinc *Aſarota*, *ſcopis non verrenda*.

(15) *Teſſeratum ſternitur omne ſolum*: ſcilicet pretioſiſſima Veterum pavimenta Muſivo Opere contexta, quæ Furietius idem in Hadriana Villa detexit, minutiſſimis e lapillis coloratis viridiſſime compacta. Hujuſmodi appellaverunt Priſci Latini, ſive Romani, *Opus Muſivum*, *Opus teſſelatum*, *Opus articulatum*, *Opus ſpicatum*, *Opus vermiculatum*, & quandoque etiam *Spicam* & *Vermiculum*, ut in Inſcriptionibus Veteribus aliquando legimus.

(16) *Columba*, &c. Inter alia pretioſa hujuſmodi pavimenta, detexit Furietius idem ſingulare illud, quo columbæ quatuor (ſive turtures, ut aliquibus magis videntur) repræſentantur, diverſo unaquæque geſtu, ad aquæ craterem ſtantes, prout hic deſcribuntur.

(17) *Quatcolis Aſtrea*, &c. In Ædibus Publicis *Montis Citatori*, qui nobilium Hoſpitum & Advenarum concurſus magni, ad Centauros, & Muſiva hæc pavimenta ſpectanda atque admiranda, ſiebant

(18) *Dum peteres Meliten.* Melitem adivit Furietius olim Venetæ Reipublicæ juſſu, ut Venetorum ipſorum negocia cum Rhodiaenrum ſive Melitenſium Equitum Magno Magiſtro tranſigeret, adverſus communem Chriſtiani Nominis Hoſtem.

(19) *Jactatum Te fluctibus.* Quibus in navigationibus, eundo, redeundoque, fluctis fuit non ſemel tempeſtatibus agitatus, maximiſque diſcriminibus objectus.

EPI-

Non solum fesso, verum opprobrio quoque turpe

(8) *Seu viride aspectas regalibus aedibus aequor*, &c. P. *Ubertini Carrara* Soc. Jesu Poetæ Celebris dictum fuit, ex Macareſiano Excellentiſſimorum Ducum Roſpigliosiorum ædibus magnificis duplicis Æquoris, ſeu Maris eſſe proſpectum amœniſſimum. *Viride* alterum Camporum latiſſime patentium; alterum vero *Caeruleum* Thyrrene Maris, cujus in Littore, ſive Ora, eſt Macareſium. *Fœnumque*, &c. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quaſi flos agri, exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos.* Iſaiæ Cap. 40.

(9) *Quam colis Etruſci vaſtam modo Littoris oram*, *Quos Populus quondam nobilis, ſuperbaque fuit?* Ora Maritima iſt hæc, vulgo *La Maremma di Macareſe*, priſcis ſeculis Urbium atque Oppidorum celebrium plena fuit, quarum jam pridem ipſæ etiam periere ruinæ, vix que ab Eruditioribus ſagacioribuſque Antiquariis earum aliquot nomina utruſque detecta ſunt, ex minimo aliquo reſoſſo rerogatoque veſtigio.

(10) *Fregenarum Urbem* Quod Urbs *Fregenæ* ad *Arnum* Fluminis oſtia ſita fuerit, ac proinde, ubi nunc *Macareſium*, legitur apud Philippum Cluverium in Italiæ Deſcriptione, innuitque Tabula Cingulana Agri Romani, & Franciſci Eſchinardi S. I. in eam Enarratio. Porro Cluverius Lib. 2. Ital. Antiqu. p. 498 Lugd. Bat. 1624. fol. diligenter monuit, *Fregenas Etruſcas* pluribus ab Scriptoribus cum *Fregellis Latinis*, ſive *Campanis*, modò *Ponte Corvo*, apud Aquinum, fuiſſe confuſas. Ipſe tamen utriuſque Urbis latum & manifeſtum diſcrimen, pluribus Veterum teſtimoniis de utraque adductis, oſtendit. De Fregenis autem Urbe, ubi nunc Macareſium eſt, olim conſtituta, ita Silius Italicus lib. 8.

Alſium, & obſeſſa campo ſqualente Fregenæ.

(11) *Bobiana Mœnia*. Tabula Agri Romani Cingulana nuper laudata, antiquam Urbem *Bobianam* nomine in Macareſii vicinia conſtituit, prope Fuſſam, & Pontem, vulgo *dei tre denari*, ad pervetuſta quædam ædificiorum veſtigia ſubſcribens *Bobiana Rudera*.

(12) *Cum Lorio*. Eadem Tabula prope Fundum, ſeu Prædium, *La Boccachia*, ſubſignavit *Lorii Rudera*; nomen ſcilicet Priſcæ Urbis dirutæ.

(13) *Cum Statuis*. Item in ea vicinia prope Diverſorium, nunc *Monterone*, Locum deſignat ea Tabula *Ad ſtatuas*, ſive *ſtatua*, ſic forte olim dictum ob inſignes aliquas in eo ſtatuas collocatas.

(14) *Alſium*. Fuit antiquiſſimis temporibus *Alſium* maritima Urbs celebris, cujus meminere Livius, Dioniſius Halicarnaſſeus, Vellejus Paterculus, Plinius, Silius Italicus, Strabo, Ptolomæus aliique Auctores; ut apud Cluverium videre eſt. Lib. 2. Ital. Antiq. p. 497 Edit. Lugd. Batav. Portus ejus *Alſienſis* dictus eſt. De quo Cicer. in Miloniana, & in Epiſtolis Familiaribus. Cluverius autem, cum aliis, ſitum Portus Alſienſis conſtituit, ubi modo eſt Caſtrum cum Arce, vulgo *Palo*, & *la Fortezza di Palo*. ex eo præſertim indicio, quod ibidem antiquus lapis fuerit detectus, cum litteris. Decur. Color. Alsiensis. Tabula verò Cingulana Agri Romani ad oſtium *Rivi Cupini* apud Palum, indicant *Rudera Portus Alſienſis*.

(15) *Alſietina ſua nomina fecit Aqua*. Ea Aqua, cujus Romæ vulgatum eſt nomen, *Acqua di Bracciano*, quæque potiſſimum emergit ad Fontem a Paulo. V. P. M. magnificentiſſime in Janiculo extructum, nobis al *Fontana*

none di San Pietro Montorio, ob hoc *Aqua Paola* dicta, ea, inquam, Aqua ab Romanis olim *Aqua Alſietina* fuit appellata, en quod non tantum ex *Lacu Sabatino*, nunc *di Bracciano*, originem habuit, verum etiam, & quidem priorem longinquioremque, originem duceret ex *Lacu Alſietino*, qui in Agro Urbis *Alſii* fuit; quique hodie dicitur *Lago di Stracciacappa*, prope Sabatinum, quemque alii cum Lacu, vulgo *Lago di Martignano*, confundunt.

(16) *Nec procul hinc Cæretes*. *Cerveteri*. Etruriæ ſuburbanæ Oppidum, unde Romani ritus in ſacris adhibendos acceperunt, *Ceremonias* dictos. Oppidum etiam, *Cere* ſine addito, dictum eſt.

(17) *Urbs & Agylla* prope Cere ſilex eſt præciſa, in qua urbem Agyllam fundatam memorant: quæ Urbs quoque *Agyllina* dicta. Virg. Æn. 8 v. 478.

Haud procul hinc ſaxo colitur fundata vetuſto
Urbis Agyllinæ ſedes: ubi Lydia quondam
Gens bello præclara jugis inſedit Etruſcis.
Hanc multos florentem annos Rex deinde ſuperbo
Imperio, & ſævis tenuit Mezentius armis.

(18) *Urbs Maxima Veii*. Communior nunc antiquariorum Pars poſt Raphaelem Fabrettum, cenſet, locum, ubi olim celeberrima Urbs *Veii*, Agri Vejentis Princeps & Domina fuit, eſſe eum, in quo oppidum eſt *L'Iſola di Farneſe*, publica inter Diverſoria. *La Storta*, & *Baccanello*, haud ita procul ab oppido *Formello*, in Agro Romano, & Tuſcia Suburbicaria. Fuere *Veii* primis Romanæ Reipublicæ ſæculis Urbs potentiſſima, atque opulentiſſima, Hetruriæque Populorum ex principibus una, & forte omnium maxima.

(19) *Troja longior ille labor*. Obſedere Romani, ſive oppugnavere Vejos annis pluſquam decem, cum tamen decennalis fuerit illa celebris Trojæ obſeſſio. In Vejorum Obſidione, primum ſub pellibus ab Romano exercitu hiematum eſt. Capta demum fuit Urbs prodigio, ut Livius narrat, Lacus Albani deductione facta, juxta oracula. Vide Librum noſtrum *de Albanis* Tom 7 Vet. Latii. Vejorum vix jam rudera, aut veſtigia apparent: eorumque excidium ferme ſine veſtigiis in plures multumque diverſas ſententias de hujus Urbis antiquo ſitu, ſcriptores diſtraxit. De Vejis Livius diffuſiſſime.

(20) *Hic quondam Cremeræ, Fabiorum infamia, flumen*, trecentorum Fabiorum Cæde, Bello Vejenti, nihil celebrius in Romana Hiſtoria. Ad Cremeram fluvium, in Agro Vejenti, ea fuit perpetrata. Fluvio nunc nomen *La Valca*. De Fabiis Livius pariter & Ovidius.

(21) *Oppidaque antiquo tot celebrata Lare*. Aliæ quoque Urbes & quidem celebres, extiterunt olim in ea vicinia & Regione: ut *Careja*, hodie *Galera*; quem prope pagum eſt Fundus *La Badia di Santa Maria in Celſano*, ad Venerabile Collegium Germanicum Hungaricum Romæ pertinens. *Rubra* hod. *Grottaroſſa*, *Fidena*, nunc *Caſtel Giubileo*, aliæque.

(22) *Parte alia hoſpes Tibris Tyrrhena laceſſeat Æquora*. Habet Maccareſius Fundus proximum Tiberim ſiniſtrorſum, qui Antiquam Hetruriam a Latio diviſit: ramiſque duobus diſtinctus, ad locum ex eo dictum *Capo di rame*, Inſulam efficit, quam, Veteres *Sacram* dixere: quamque circuitu octodecim paſſuum millia complexam, Antiquarii memorant.

Duo-

Duobus deinde Oſtiis in mare ſeſe exonerat Tiberis, altero, vulgo *La Fiumara*, altero verò *Fiumicino* tanto impetu, ut bellum potius, quam tributum, mari inferre videatur.

(23) *De Portu triplici Clarus erat*. Proxime Oſtia Tiberis, tres olim percelebres Portus fuere.

(24) *Ulpius*. Lateri Fluminis dextero, prope alveum, nunc *Fiumicino*, interius fuit *Portus Trajanus*, qui a nobis hic *Ulpius* dicitur ab Auctore Imperatore Cæſare *Marco Ulpio Trajano*. Ejus adhuc murorum circuitus, multæque marmoreæ columnæ, ad quas naves alligabantur, perdurant adhuc, ſinus ejus ferme rotundus lacus inſtar, ſive paludis, accolis dicitur *Trajanella*. De illo vid. Vulpium *Veteris Latii Tom. 6.*

(25) *Claudius ante hunc*. Dexteri pariter Tiberi fuit *Portus Claudius* Imperatoris *Claudii* Cæſaris Opus, ad ipſum Littus Maris, ante Trajanum, quem Trajanus interia tempoſtea excitavit. Claudius figuræ pene ovalis fuit ex eo, per fauces quaſdam in Trajanum poſtea fuit aditus. Portus Claudius modo terra arenisque fere omnino eſt oppletus. Locum accolæ balbutiunt, *La Trajana*, ea opinione, quod de Trojanis hæc loca nomen diſumpſerint: cum revera corruptæ ſint voces, *La Trajana*, *La Trajanella* & *Trajano* eo quod Trajanus, & *Claudium Portum* reſtituerit ornaveritque, & novum de ſuo nomine *Trajanum* adjecerit. Porro duorum horum Portuum magnificentiſſime extructorum ex celebritate, Urbs ſive Civitas olim conſlata eſt *Romanus Portus*, ſive etiam *Portus*, ſine addito appellata. Fuitque Chriſtianis ſæculis Celebris ac Populoſa; Sacro proinde Antiſtite decorata, qui *Portuenſis* eſt dictus hodie, licèt ea loca in ruinis omnino jaceant; adhuc tamen Titulus *Portuenſis* Antiſtitis ſupereſt, ejuſque ſacra Ditio oppida plura & pagos complexa. Vide Vulpium *Tom. 6. Veteris Latii* de his fuſe agentem.

(26) *Latium manibus oſtia Regis opus* ſiniſtrum ad Alveum Tiberis, nunc *La Fiumara*, fuit ab *Anco Marcio* Romanorum Rege quarto Urbs excitata, *Oſtia nomine*, ſive *Oſtia Tiberina*, ex vicinia duorum, Tiberis Oſtiorum. Ea quamvis pene deſerta, ſubſiſtit tamen adhuc, Titulusque Antiſtitis ſacri eſt, qui Cardinalium omnium eſt antiquiſſimus. Apud Urbem Oſtiam primis Romanorum temporibus Portus fuit peculiaris, qui *Portus Oſtienſis* eſt dictus quamvis poſtea *Portus Romanus*, ab aliquibus etiam *Oſtienſis* fuerit appellatus, oſtenſi ipſo deſinente, atque oppleto.

(27) *Aſt altra hæc*, *Latium* a Tiberi *Circejum* Promontorium, Veteris Latii pars Auſtralis extendebatur.

(28) *Laviniaque Littora bellis*, *Dardania & Phrygia nobilitata Ducis* Scilic. Æneæ Trojan. de quo Virgil. Æn. primo *Laviniaque venit Littora*. Oppidum modo *Patrica*, ſeu *Pratica*, in Latina ora maritima poſitum, ſedem antiqui Lavinii conſtituunt Antiquarii.

(29) *Ardea, quæ Turni*. Extat hodieque Caſtrum *Ardea* dictum, muris circumdatum ex vivo prægrandi ſecto & quadrato lapide munitum. Fuit olim *Ardea* Rutulorum Civitas princeps, cujus rex Turnus; de quo Virgilius ſex poſterioribus Æneidos Libris fuſiſſime.

(30) *Laurentum Regna Latini*. Laurentum Urbem conſtituunt Eruditi Viri plerique omnes loco in Latino Littore, dicto *Paterno*, aut *Torre di Paterno*, Tiberim inter atque Antium Promontorium. Egit Vulpius in Veteri Latio *De Ardeatibus*, *& Laurentinis*, duobus libris ſeorſim.

E e (31)

(31) *Quo veſtris poſita eſt aurea ſella Foris.* Sic Propertius Suburbanarum plurium Civitatum deſolationem commemorans Lib. 4. Eleg. 11.

Et Veii veteres, & Volſcii Regna fuiſſe,
Et veſtro poſita eſt aurea ſella Foro.
Nunc intra muros, Paſtoris buccina lenti
Cantat, & in veſtris oſſibus arva metunt.

(32) *Occultans catulosque fera.* Idem ait Horatius de ruinis veteris Trojæ, Lib. 3. od. 3. *Dum Priami Paridisque buſto inſultet armentum, & catulos feræ celent inultæ.*

(33) *Quid vano tumeat periturus homuncio flatu?* Celebre eſt argumentum idem, quod homini, ruinas magnarum urbium intuenti, recordatio propriæ mortalitatis ſubire in mentem debeat, eoque ex aſpectu debere illum ſuperbe non ſapere, ſed propriæ tenuitatis meminiſſe. Servius Sulpicius in Epiſtola ad Ciceronem, De Conſolatione in morte Filiæ Tulliolæ, ſic ſapientiſſime Lib. 4. Ep. Cic. Famil. Ep. 5. *Ex Aſia rediens, cum ab Ægina Megaram verſus navigarem; Cœpi regiones circumcirca proſpicere. Poſt me erat Ægina, ante Megara, dextra Piræus; ſiniſtra Corinthus, quæ oppida quodam tempore Florentiſſima fuerunt; nunc proſtrata, & diruta ante oculos jacent. Cœpi egomet mecum ſic cogitare. Hem. nos homunculi indignamur, ſi quis noſtrum interiit, aut occiſus eſt, quorum vita brevior eſſe debet, cum uno loco tot oppidorum cadavera projecta jaceant. Vis ne tu te, Servi, cohibere, & meminiſſe hominem te eſſe natum?* Sic pariter Actius Sincerus Sannazarius Libro ſecundo De Partu Virginis, ℣. 213. & ſequentibus.

Et qui vertentes immania Saxa, juvencos
Flectis arans, qua devicta Carthaginis arces
Procubuere, jacentque infauſto in littore turres
Everſæ: quantum illa metus! quantum illa laborum
Urbs dedit inſultans Latio, & Laurentibus arvis!
Nunc paſſim vix reliquias, vix nomina ſervans
Obruitur propriis non agnoſcenda ruinis.
Et querimur, genus infelix, humana labare
Membra ævo, cum Regna palam moriantur, & Urbes.

Quam pulcherrimam & veriſſimam plane ſententiam Torquatus Taſſus egregie in ſuum elegantiſſimum Poema ſic transtulit. *Giace l'alta Cartago, e appena i ſegni dell' alte ſue ruine il Lido ſerba, Muojono le Citta, Muojono i Regni, copre i Faſti, e le Pompe arena & erba. E l'uom d'eſſer mortal par, che ſi ſdegni; O noſtra mente tumida e ſuperba!* Ipſe denique Sannazarius in Theatrum Campanum, ſive Ruinas Capuani Amphitheatri Ep. 39. Lib. 2. Editionis, Patavinæ ap. Comminum, ſic.

Dicite Semidei, ſilvarum Numina, Fauni,
Et ſi qua ad vestras Nympha fugata venit:
Cui licuit tantas ſaxorum evertere moles
Quas jam diſjectas vix nemora alta tegunt?
Hic ne olim ſueta eſt cuneis Campana juventus
Amphitheatrales læta videre jocos?
Nunc ubi tot plauſusque hominum, vocesque canoræ
Tot riſus, tot jam gaudia, tot facies?
Scilicet, heu fati lege! rapit omnia tempus,
Et quæ ſuſtulerat, deprimit ipſa dies.

(34) *Nunc quamvis ſacra iter compede Roma moretur.* Innuit hic Auctor, ſe quamvis modo detineatur Romæ ab nonnullis ſacris Congregationibus, quibus eſt accenſitus, ſacriſque a ſtudiis Divinarum Litterarum, quas profitetur, alias tamen debuiſſe Macareſii Ruri interfuiſſe, eo deductum ab Excellentiſſimo Zagaroli Duce, ut ipſum cum nobiliſſima Conjuge ac liberis ſuis, Sancti Patris

Igna-

Ignavi exercitationibus imbutret, una cum domeſticorum ſuorum gregibus copioſiſſimis: atque adeo, ut Macareſii Ruris colonos hinc atque hinc diſperſos Divini Verbi pabulo recrearet.

Viam autem *Aureliam* antiquam, *Caſtrum Guidi*, ac *Pontem* fluvioli *Aronis*, Macareſium euntes obeunt, atque tranſmittunt.

(35) *Burgundus Heros.* P. *Horatius Burgundus* Soc. Jeſu, vir religioſiſſimus, & Mathematicus celeberrimus, tunc Excellentiſſimorum Ducum ſacris a confeſſionibus, pene ex improviſo nobis ereptus Ann. 1741. Martio Menſe.

(36) *Corradinus princeps, Lercarius atque. Petrus Marcellinus Corradinus, & Nicolaus Lercarius* S.R.E. Cardinales: viri que Principes, & Præſuli plurimi, aliique clariſſimi ex Urbe accedentes hoſpites.

(37) *Gentis ſpes prima Camillus. Excellentiſſimus Dominus Camillus Roſpiglioſius* Excellentiſſimi Zagarolæ Ducis filius primogenitus, qui Auctorem in ſuo Macareſio Rure benigniſſime excepit & humaniſſime.

(38) *Turrim me viſere Petræ. Torre in pietra* Prætorium nobilis Falconeriæ Gentis haud ita procul Macareſio.

(39) *Tum vos hoc, Automedonte duc.* ſignificat Auctor ſe magni fecisse, quod a tam nobili Doctore huc atque illuc deductus fuerit. Fuit autem *Automedon* Currus Achillis auriga celebris & peritiſſimus, de quo Homerus. Juvenalis quoque ut nobilem ac peritum Currus ductorem ſignificaret, *Automedonta* appellavit. Sat. prima.

(40) *Stagnaque viſa mihi.* In vicinia Macareſii Ruris ſtagna ſunt duo: quorum alterum Orientis, alterum Occidentis ſolis plagam obvertitur. Ex iis, quod Macareſio propinquius eſt, Excellentiſſimis Dominis Roſpiglioſis plurimum affert utilitatis.

(41) *Caſtra Paludura Paludora.* Caſtrum ac Prædium *Xenodochii Sancti Spiritus in Saxia Romæ*, inter Macareſium & Palum conſtitutum.

(42) *Vetera Monumenta, ruinæ......* tas *Caſtra, Palatr* eadem Via, dtutroeſum, rudera murorum apparent, quæ dicuntur *Palo vecchio* ac deinde in ipſo maris Littore Oppidum & Caſtrum *Pali* montium occurrit. *Palo, & Fortezza di Palo.*

(43) *Ruris Opes.* Venatus Macareſii aprorum percelebres. Equarum armenta, Caſei, vulgo *provature di Macareſe*; Bubalini Fœtus lactentes. Coturnices totius illius oræ quando Aprili menſe ex Africa ad nos redeunt, faſſeque facillime capiuntur.

(44) *Locum Grali dixere Beatum.* Græca origo nominis *Macareſe*, *Deliciarum & Gaudiorum Locum* ſignificat: ex enim lingua *Macarius* idem eſt ac *Beatus*: quare *Macareſios* optime verteretur *Paccolo Paradiſo Terreſtre*.

(45) *Rura Gabina ſubi.* Delicatæ Ruſticationes apud oppidum *Zagarolo* in antiquo Gabino Agro ſitum.

(46) *Regia Celſa Quirini.* Magnificæ Roſpiglioſiorum Principum Ædes Romæ in Monte Quirinali.

(47) *Cum Doctore Tuo ... Philippus Ingegneri* is eſt, Vir Clariſſimus ac Pius Sacerdos, idemque, excellentiſſimi Domini. *Jo: Baptiſtæ Roſpiglioſi* Doctor egregius, atque Epiſtolæ ad Auctorem noſtræ, Cui hæc facta Reſponſio, Director, &c.

(48) *Geminis* Sol ſolicat ſigno cœleſti *Geminorum*, uno verbo, *Majus Menſe*: quo tempore, pro ſere, ab frigoris remiſſionem ad inſalubritatem jam redeunte, Macareſiæ Ruſticationes deſinere conſueverunt.

LIBRO TERTIO.

EPISTOLA PRIMA.

* HÆc Epiſtola edita eſt Brixiæ Anno Salutis MDCCXLI. in 4.

(1) *Archæa.* Revera Quirinus Cardinalis Ampliſſimus cum in aliis Editis Operibus variis, tum maxime in Libro, cui Titulus *Primordia Corcyræ* excellentiſſimam interioris, antiquioriſque Literaturæ Eruditionem oſtendit. Quod hic ſignificant hæ verſæ laudes, quibus dicitur: *Repoſta Archæa Pater Eruditionis.* Siquidem in eo libro Eruditiſſimus Auctor quamplurima abſtruſiora Græcorum Scriptorum Veterum teſtimonia in rem ſuam adducit, eorum veram ſententiam aperiendo: falſis, atque contortis interpretationibus omnibus ſecluſis, & amandatis.

EPISTOLA SECUNDA.

* EDita eſt hæc Epiſtola Brixiæ An. Sal. MDCCXLI. in 4. & iterum ibidem in Epiſtola Italica Brixiani Civis ad Amicum: *De Brixiana Literatura Progreſſu ſub Cardinale Quirino Antiſtite*, ubi Hujus Epiſtolæ Hendecaſyllabi dicuntur *Aures ſæculi Auguſtei pares Carminibus, atque illis inferendi &c.*

(1) *Nam me Flaminî*, &c. Adhibet hic Auctor ſententias & carmina quædam M. Antonii Flaminii, Latini Poetæ mundiſſimi, in re ſimillima: neque hoc furtum facit, ſed edicit palam.

(2) *At Te* Brixiadum &c. Quæcumque maxima, aſſiduaque incrementa perpendens, quæ Quirinus Cardinalis Sacris, Profanis, Græcis, Latiniſque, & recentioribus quoque Orientalibus Literis in Regione Brixiana promovet & procurat; ex quo, maximo ejuſdem bono, Sacer ibidem eſt renunciatus Antiſtes, Mecænaſque præeſt munificentiſſimus, is profecto, æquiſſimo jure & meritiſſimo Cardinalem eumdem *Brixiadum Muſarum Decus* his verſibus dici cognoverit, ac pronunciaverit.

EPISTOLA TERTIA.

* EDita eſt hæc Epiſtola Brixiæ An. Sal. MDCCLXI. in 4.

(1) *Callimachique*, &c. Hæc ſunt nomina maledicorum ſcriptorum, qui Pauli II. P. M. nomini ac famæ detraxerunt, Duce Platina. Quorum calumniæ commentario, quod hic laudatur, ab Eruditiſſimo Sapientiſſimoque Quirino Cardinali penitus obtritæ ac diſſipatæ ſunt.

(2) *Leve rumpere* Paullus Barbus. Idem Auctor hic utitur archaiſmo in hujus verſus menſura, eliſendo ſcilicet literam S in voce Paullus, ita ut ſit legendum Paullu Barbus: velut eſt apud Ennium *Catus Æliu' ſextus*, & *Vivu' per ora Virum*, aliaque ſexcenta apud primos Poetas Latinos.

Epi-

EPISTOLA QUARTA.

(1) *Sfluvius Lenus*, &c. Hic nobis dicitur *Lago d'Iſeo*, in Brixiana Regione.

(2) *Benaci*, &c. *il Lago di Garda*. De quo Virgilius Georg. 2. v. 160.

Fluctibus & fremitu aſſurgens, Benace, marino.

(3) *Mela*, &c. Flumen *Mela* certe in Agro Brixienſi; de quo tamen controverſia eſt inter Recenſiores ipſos Brixianos Scriptores, utrum prope Urbem, an procul fluat, ſive, ut verius dicam, utrum intra, an extra Brixiæ mœnia. *Mela* Fluvium nominavit Virgilius Georgic. 4. v. 278.

(4) *Rigatos*. Calami ſive cannæ ex Chalybe ductæ ad parvi tormenti bellici, vulgo *archibugio*, armaturam. Ob lineam quandam ſive ſulcum, dicuntur *rigate*: quæ autem in Agro Brixienſi fiunt, ob ferri fodinas copioſas & excellentes, maximo ubique gentium in pretio ſunt, & in regiones quoque remotiſſimas aſportantur.

EPISTOLA QUINTA.

(1) *Forma Gregis*. Talem requiſit ſacrum Antiſtitem Divus Petrus Ep. p. C. 5. v. 3. *Forma factus Gregis ex animo.*

(2) Hic vultus *ſimul exerit*. Ita Horatius de Augusto: *Vultus ubi tuus affulſit, Populo gratior it dies, & ſoles melius nitent.* Od. 5. Lib. 4.

(3) *Cachinnorum*, &c. Sic Catullus Epigr. 31. v. 14. *Ridete quicquid eſt domi Cachinnorum.*

EPISTOLA SEXTA.

(1) *Collis hic Quirini*, &c. Luditur hic in vocibus *Quirini*, & *Querinalis*, nec abs re quidem, ut videtur.

(2) *Provocare noli*. Sic Statius De Lucani Natali, Silvar. lib. 3. carm. 7. v. 365.

Boeſin Mantua provocare noli.

EPISTOLA SEPTIMA.

(1) *Cadit heu*, &c. Virgilius Eclog. 9. v. 17. *Heu cadit in quemquam tantum ſcelus.*

(2) *Pari quis unquam*: Catullus Ep. 29. v. 2. *Quis hoc poteſt videre, quis poteſt pati?*

(3) *Sacris Liminibus*. *Ad Limina Apoſtolorum*, ut ajunt, accedere conſuevit Cardinalis Quirinus ex Brixienſi ſua Sede bis in anno, itinerum incommoda ſocii faciens. Quin & ipſa itinera vacua nunquam a ſtudiis literarum præterire ſinit: cum vero de illis uſurpet, quod ſcilicet *ſecum peregrinantur, & iter faciunt*. Teſtimonio ſunt tot Epiſtolæ eruditiſſimæ, quas in itineribus ſcriptas, ad Viros Clariſſimos datas edidit, pergitque edere in dies.

EPI

EPISTOLA OCTAVA.

(1) T*Errarum Dea*, &c. Hos cum ſequentibus verſibus mutuatus eſt Auctor a Martiale & Catullo, ad ſuas ornandas Epiſtolas, tanquam opportuniſſimos, ita ut de ſuo motus dicere diſſiſus fuerit. Neque hoc abſcondit, imo edicit palam.

EPISTOLA NONA.

(1) A*Lexander*. *Alexander Lopez* Sem. Rom. Convictor e Ducibus Taurſani & Monteronis Patricius Lupienſis, ſive Aletinus, ſive Lycienſis, ex Matre nobiliſſima Caffarella Romana, &c.

(2) *Tuli diſerte &c.* In Inſtauratione ſtudiorum egregie recitavit in Romano Seminario egregiam Elegiam De Laudibus Friderici Christiani Primogeniti Saxoniæ Principis Regiſque Poloniæ filii, ibidem Marianæ Congregationis Præfecti Ann. Sal. 1740. Kalendis Novembribus.

(3) *Baldus. P. Claudius Alexander Baldus* Soc. Jeſu Liburnenſis.

(4) *Crateus Elimor* Nomen Paſtorale Auctoris inter Arcadas.

(5) *Sic Tuiſi*. Dum hæc Epiſtola ad Alexandrum Lopez fuit allegata, Rethoricæ Poeſique ille operam dabat: quapropter opportuna in his facultatibus progreſſuum augurta eidem facta.

(6) *Meique Levj* ſcilic. Patavini, & Auctoris civis & conterranei.

EPISTOLA DECIMA.

(1) A*Ngele*. P. D. Angelus Calogerà Monachus Camaldulenſis Urbanus Venetus Opuſculorum Philologorum pluribus Tomis Collector, Editor, atque illuſtrator.

(2) Mutuatam ex Catulli Epigrammate quinto hanc Epiſtolam, nemo non videt: attamen in honeſtiori multo argumento.

EPISTOLA UNDECIMA.

(1) C*Reſcenti*. Eſt hic Illuſtriſſimus Ampliſſimuſque Preſul *Marcellus Creſcentius* ex vetuſtiſſima nobiliſſimaque Romanorum Creſcentiorum Gente, qui poſt alia ſancte in Romana Curia obita munera, ex Sacræ Rotæ Auditore Pontificius Nuntius in Gallias ad Ludovicum XV. Regem allegatus, mirum in modum virtutibus eluxit. Huic adoleſcenti, ſuoque in Philoſophicis amiciſſimo Condiſcipulo olim hanc Epiſtolam cum, pio, ornatoque Libello Auctor miſerat.

EPI-

EPISTOLA DUODECIMA.

(1) COSMA *Coſmus de Angelis* Patricius Piſanus Bargæ in Etruria Marchio, Seminarii Romani tunc Convictor, multæ expectationis juvenis immatura nobis morte præreptus.

(2) *Aloyſi*. Huic Elegiam de Beati Aloyſii laudibus recitandam auctor tradiderat, ac præcipue Beati ejuſdem Voca de Societate Jeſu incunda.

EPISTOLA DECIMATERTIA.

(1) CAROLI *P. Carolus Mandoſius* Soc. Jeſu Romanus Elegarum Scriptor egregius, & Eloquentiæ ac Poſtea Romæ Profeſſor illuſtris.

EPISTOLA DECIMAQUARTA.

(*) EDita eſt hæc Epiſtola Romæ Ann. 1742. ap. Mainardum in 4. cum aliis ejuſdem argumenti, Curante Franciſco Benalio Tarviſino, &c.

(1) MARCUS. Excellentiſſimus Eques atque Senator *Marcus Fuſcarenus* Venetorum ſuorum Publicus Hiſtoricus.

(2) *Quantus Vindobonaque*, &c. Ad Carolum Sextum Romanorum Imperatorem Venetæ Reipublicæ Orator fuit.

(3) *Urbs Romulea*, &c. Mox Romæ ad Clementem XII P. M. & ad Cardinalium Collegium in Comitiis Vaticanis, denique ad Benedictum XIV. P. M. item Orator.

(4) ARCADIÆ *mei Sodales*. Scilic. Auctor Arcas eſt Paſtor *Bianoris Cravei* nomine.

(5) *Tibertes*, &c. Amœniſſimis in Tiburtinis Tuſculaniſque Ruſticationibus Fuſcarenus nobilium Eruditorumque Coetuum Sal, Mel merum, & delicium fuit. Hinc merito dicitur hic *Muſarum Decus*, & *Suadæ Gloria*. Ob ſuaviſſimam doctiſſimamque præcipue oris facundiam.

(6) *Te Benaleus Franciſcus Benalea* Fuſcareni intimus familiaris poeta ciuditus Arcadum pluſimos in laudes Patroni ſui beneficentiſſimi excitavit.

(7) *Parrhaſium Nemus*. Sedes Celeberrimæ Arcadum Academiæ Romæ ſic appellatur.

EPISTOLA DECIMAQUINTA.

LIber ab ampliſſimo Quirino Cardinali dono datus Auctori hujus Epiſtolæ hunc Titulum præſefert: *Diatriba Preliminaris in duas partes diviſa ad Franciſci Barbari, & aliorum ad ipſum, Epiſtolas ab Anno Chr. MCCCCXXV. ad Ann. MCCCCLIII. nunc primum Editas ex duplici M. S. Cod. Brixiano, & Vaticano Uno. Has omnes alterum Volumen complectetur. Quin ad ejus calcem aderit Ampla earumdem Mantiſſa ex Foroiulienſibus Biblioth.*

*blioth. Guarneriana MSS Brixiæ ex*cudebat *Joannes Maria Rizzardi* 1741. *Superiorum Approbatione.* In fol. parv. ſive in 4. Chartæ maximæ pagg. DCXVIII. ſine Præfatione &c.

EPISTOLA DECIMASEXTA.

(1) MARIO Illuſtriſſimus Præſul *Marius Compagnonus Mare ſuſ. ac* Patritius Macratenſis egregiæ expectationis juvenis, & in florenti adhuc ætate maturis virtutum fructibus exornatus.

EPISTOLA DECIMASEPTIMA.

(*) ANtiquarum Inſcriptionum Libellus, de quo hic ſermo, editus fuit Venetiis apud Simonem Occhi in 12. hoc Titulo: *Lettera del P. Giuſeppe Rocco Volpi della Compagnia di Gesù al P. D. Angelo Calogerà Monaco Camaldoleſe, nella quale ſi eſpongono Cento Antiche Iſcrizioni di freſco nuova ſcoperta, e correzione, con alcune breviſſime Annotazioni per ciaſcheduna.*

EPISTOLA DECIMAOCTAVA.

(*) LAſcarum Gens Byzantina origine, Byzantii inter alios illuſtres viros protulit Imperatores duos, *Theodorum* nomine, ac *Joannem Laſcaris* pariter Imperatorem. In Italiam deinde traducta, cum Comitibus Albio intemelii, vulgo di *Ventimiglia* Conſanguinitate permixta eſt. Ex quibus prodiit *Joannes Paulus Laſcaris* Militiæ Equitum Hieroſolymitanorum Rhodienſium, nunc Melitenſium, Magnus Magiſter. Nomen quoque Loco *Laſcaris* appellato tribuiſſe videtur in Italiæ finibus prope Niceam in Subalpinis, in Laſcardum ipſorum ditione poſito. Viris quoque Litteratis permultis inclaruit, ut *Joanne ac Conſtantino*, Græcis præcipuæ doctrinæ illuſtribus, aliiſque.

EPISTOLA DECIMANONA.

(1) WEnceslaus adeſt. Wenceslaus *Carolus Sacri Romani Imperii Comes de Purgſtall* intimus Cæſareæ Majeſtatis a conſiliis, olim Goritiæ *Locum tenens*, & Aquilejæ Cæſareus *Commiſſarius*; mox meritorum ſuffragio ob graviſſima egregie exercita munia, ad Ducis Goritiæ dignitatem evectus,

(2) *Camatia Joannes Baptiſta Camutius* e Comitibus olim Tolmedii in Foro-Julio, *Decanus*, ut vocant, nobiliſſimorum Aquilejenſium *Canonicorum*, vir eximius, Romam ab Collegorum ſuorum Cœtu graviſſimi ad maximi ponderis tractanda negotia allegatus.

EPI-

EPISTOLA VIGESIMA.

(1) *Tempe*. Amœniſſima Teſſaliæ Loca Poetis commendatiſſima.

(2) *Alcinoi......Hortos*. In Corcyra Inſula celebres Alcinoi Regis Horti fuere, de quibus Homerus in Odyſſea.

(3) *Maritimos.... Calabros*. Calabriæ receſſu Publius Virgilius Maro plurimum eſt delectatus, ejuſdemque ſepulcralis inſcriptio memoratur ſic habens: *Mantua me genuit, Calabri rapuere*, &c.

(4) *Sirmio* Peninſula in Benacu Lacu, nunc *Lago di Garda* ab Catullo, (qui tamen ibi commemoratur eſt, ſed Villa habuit) multum celebrata. De illa idem Catullus: *Peninſularum, Sirmio, Inſularumque, Ocelle*, &c. Epigr. 31 v. 1. nunc dicitur *Sermione*.

(5) *Syllabis Catulli*. Ita Martialis: *Verona docti ſyllabas amat vatis*. Ep. 61. lib. 1.

(6) *Liternum*. Locus peramœnus in Littorali Campaniæ ora deliciis Scipionis Africani & receſſu celebris nunc quoque *Linterno* dicitur, & prope ipſum *Torre di Patria*, Cajetam inter ac Neapolim.

(7) *Primo Neroni*. *Tiberius Nero* primus ex Cœſaribus hujus nominis, qui deinde vocati ſunt, & *Domitius Nero* & *Claudius Nero* Cæſares. Notiſſimus eſt Tiberii receſſus in Capreaium Inſula, contra Neapolim. De eo Juvenalis: *Principis anguſta Caprearum in rupe ſedentis cum Grege Chaldeo*, *Sat*. 10.

(8) *Sibaritidis Tarentum*. Sibaritarum & Tarentinorum Deliciæ antiquitus celeberrimæ, ingenio partim populorum, partim vero regionum amœnitate & cultu confectæ.

(9) *Mevania. Peligni*. Loca ab Propertio Ovidioque, cujus patria fuere, ſæpius ob amœnitatem commendata.

(10) *Clauſa Vallis*, &c. Vallis prope Avenionem in Gallia, vulgo *Val Cluſe* a *Franciſco Petrarca* ob *Lauræ* ſuæ ibidem receſſum ſæpiſſime commemorata.

(11) *Mergelina* Promontorium, prope Neapolim *Jacobi ſive Actii Sinceri Sannazarii* receſſu & verſibus celebratum, vulgo *Mergellina*.

(12) *Caphii*, &c. Inter elegantiſſima *Hieronymi*, *Fracaſtorii* (qui etiam *Fraſtorius* aliquando a poetis eſt dictus) carmina, *montium Caphiorum* ſæpe fit mentio, in quibus prope Veronam ſuam, ſuit Fracaſtorii villa, ab hero multum amata, & frequentata.

(13) *Colles Euganei*. *Litius Hadriæ*. Villæ ſcilicet in Agro Patavino, tum in peramœnis Euganeis Collibus, tum juxta Medoacum, in planitie, mare verſus, extructæ, cultiſſimæ.

(14) *Surrentum*. ... *Parthenio P. Nicolaus Parthenius Giannettaſius* Soc. Jeſu poeta celebris ſurrentinum ſeceſſum frequentavit plurimum, dilexit, celebravitque. Loco nomen *La Cocumella*; ibi Librum Carminum ſcripſit, inſcripſitque: *Æſtates Surrentinæ*.

(15) *Non Rufinula*. Villa peramœna Collegii Romani Soc. Jeſu in Tuſculano, prope Veterem Tuſculi ſedem, vulgo *La Rufinella*, de antiqui domini vocabulo, cui *Rufinus* cognomen, a quo etiam alia proxima Villa egregie ædificata, nunc Falconeriorum, *La Rufina* dicta eſt.

(16) *Tranſſe*, &c. Suburbanarum, quas Romani tum antiquitus, tum per hæc tempora frequentare conſueverunt,

verunt, ruſticationum loca præcipua hic nominantur.

(17) *Tibur fertile*, &c. multis quidem, ac veris meritiſque, Laudibus Tiburtina Regio cumulatur. Quod vel ex eo pateat. Uſurpantur enim Veterum Scriptorum, ac præcipue Horatii celebres de eadem regione ſententiæ.

(18) *Arcadiæ Meos ſodales*. Provocantur Arcades Paſtores Auctoris collegæ in *Angeli Mariæ Querini Cardinalis ampliſſimi* laudes, ac præcipue Patres Soc. Jeſu quinque, auctoris ejuſdem amici: ſcilicet, *Tirrus Creopolita* h. e. P. *Joſephus Carpani*, *Lircaus Berileus*, nempe P. *Constantius Costaccius* Piacentius Jeſuita, ſive P. *Antonius Coſſuc.* Alſeus Piſatides, qui eſt P. *Nicolaus Galeotti*, & *Nicetas Filantius* ſcilic. P. *Carolus Noceti*. Viri omnes eruditiſſimi, qui Romæ atque Eloquentiam Rethores publicæ profeſſi ſunt, & ſcriptis operibus tam vincta tum proſa oratione, inclaruerunt.

ILLU-

ILLUSTRIUM ALIQUOT VIRORUM
CARMINA
AD
P. JOSEPHUM ROCCHUM
VULPIUM
SOC. JESU.

AD JOSEPHUM ROCCHUM VULPIUM SOC. JESU

Fratrem ſuum cariſſimum, a quo Romam invitatus fuerat miſſa Epiſtola (ut is appellare amat) Tiburtina,

JOANNES ANTONIUS VULPIUS.

SI poſſim viſa felix diſcedere Roma:
Si Tiberis faciunt flumina pota bonos;
Pace loquar veſtra, qui me retinetis, amici,
Et ſtudia, & Patavi plene quietis ager,
Impiger haud dubitem ſeptenas currere ad arces:
Nec me difficilis terreat ulla via.
Sed te complecti properem magis, optime frater,
Cernere quam Domina quidquid in Urbe placet.
Me tua præcipue Venuſinis proxima chartis
Invitant facili carmina ducta manu.
Illa tamen reſonat purgata ſemper in aure
Vox mihi: Tam longum quid meditaris iter?
Iidem ſunt homines mutato cardine cœli,
Eſt eadem pravis turba cupidinibus.
Hic tibi Romanis animum virtutibus orna:
Continuo hæc tellus Roma futura tibi eſt.

Edita eſt Patavii inter Carmina ejuſdem Jo: Antonii Vulpii denuo a Comino recuſa Ann. Sal. 1742. in 8. pag. 107. &c.

AD

AD REVERENDISSIMUM PATREM

JOSEPHUM ROCCHUM VULPIUM
E SOC. JESU

Virum Muſis apprime Charum
JOANNES BAPTISTA ROSPIGLIOSIUS
e ſuo Machereſiano Rure.

ABſens Ipſe licet, Tibi præſens, Maxime Vulpi
Sum tamen obſequio, quod nequit eſſe procul.
Hæc mea Charta fides sibi ſit bene certa, nec obſtat,
Quod ſit Charta levis, pondus Amoris habet,
Quæque refert, dictavit Amor, quid plura requiris?
Pignora Amoris habes, dum mea Verba legis.
Accipe nunc igitur generoſa Fronte Salutem,
Quam tibi Tyrrheno hoc Littore mittit Amor.
Littera ſi vero nimium ſit ruſtica noſtra,
Parce precor, quoniam Littera Rure venit.
Nec miraris Opus, quod nulla floreat Arte;
Nam Locus hic noſter floribus uſque caret.
Ingeniumque Loci ſequitur mea Muſa, quid ergo
Spernis? ad exemplum vivere nonne datur?
Si tamen hic eſſes, Regio ſpiraret Odorem
Undique Virtutum Floribus Iſta tuis.
Tunc floreret Ager; tunc noſtra hæc Prata virerent;
Et quæ durat adhuc, triſtis abiret Hyems.
Tunc eſſent pariter faciles ad Carmina Muſæ,
Tunc caperet felix, Te Duce, Carmen iter;
Cultæ namque tuæ tanta eſt Facundia linguæ,
Tantus honor mentis, tantaque Vis Animi;
Ut quoque Tu Sylvas, Tu Saxa, Feraſque moveres,

Et

Et renovata quidem Facta, vetuſta forent.
Optarem jam plura loqui, ſed Cynthius aurem
Vellit, & inde minans admonet, ut Sileam.
Nam nimis alta peto, pennis impervia noſtris,
Hinc parere juvet: ſit voluiſſe Satis.
Nam licet Æquoreis hæc littera Surgat ab Undis;
Attamen orta Mari non erit Alma Venus.
Quin mea Muſa licet Sale ſit conſperſa marino,
Hoc Sale plena, tamen nil Sapit Ipſa. Vale.

FRANCISCUS MARIA LACTANTIUS

Librum ſuum *De Antiquis Aricinarum & Nemorenſium Monumentis, ex Aurea Latii Veteris Latina Hiſtoria* Libro Tertio-Decimo in Italum vernaculum Idioma traductum, & ad Hiſtoriæ ejuſdem Auctorem

REVERENDISSIMUM PATREM

JOSEPHUM ROCCHUM VULPIUM

SOC. JESU

S. CONGREG. INDICIS CONSULTOREM, ATQUE EPISCOPORUM EXAMINATOREM, allegatum, alloquitur.

ELEGIA

Missus ab extrema, Liber, i, Regione Quirini:
Quid jam, quid mecum pulverulentus agis?
I, Liber, affer Avo, quamvis vereare, ſalutem:
Græca more impatiens candida tecta ſubi.
Hæc ubi contigeris, ſparſis ſine lege capillis,
Et fuerint luteo limina tacta pede:
Janitor obtutus in te defiget amaros.
Barbara nam facies Dorica caſtra movet.
Protinus ille truci nutitans cervice, requiret,
Quid venias, quæras quidve, quibuſve locis?
Tum penetrale tui Scitare Bianoris illic:
Dicito, te Auctori reddere velle ſuo.
Panditur ecce tibi Vatis venerabilis ædes
Illa quidem cunctis panditur Hoſpitibus.
Aut Illum invenies cum Religione ſedentem,
Aut Libros inter, Pieridumque choros.
Ni bona verba ſuis faciat Studioſus Alumnis;

Ha-

Hæreſin aut contra pervigil arma roget.
Scilicet aurigerum fugit alta palatia Divum;
Nil mage quam fures temporis Ille timet.
Hic læva adſpicies Patruos cultumque Parentem,
Improba cura tui quos vigilavit Avi.
Hos juxta, inferiore, petes, in ſede locetis:
Ora tenent imum non bene culta locum.
Eſt aliquid doctis clariſque ſodalibus uti,
Hoſque infra Agnatos nomen habere tamen.
Ne pigeat, ſi forte diu te noſſe Nepotem
Abnuat; incultum nil putat eſſe ſuum.
Oſcula ne expectes, nec dulcia verba, jocoſque.
Gaudeat his facies cui gelaſinus ineſt.
Ne tamen ire, Liber, timeas: Avus ille negando
Talia ſigna palam, pectore mitis erit.
Nempe Agamemnonides fratrem cum novit Oreſtem,
Suſtulit amplectens quem daret illa neci.
Celat Aricini Nemoris Dictinna receſſu
Hippolytum, curæ quum foret ille Deæ.
Sæpe quod abjicimus, taciti retinemus; & intra
Pectora, qui carpit carmina, carmen amat.
Interea quicquam de me ſi forte rogarit;
Quive per ingenium luce fruare meum?
Vivere me egregie dices, totumque referre
Officio acceptum conſilioque ſuo.
Nataliſque tui referens primordia, quando
Luminibus fulſit diva Minerva meis:
Tempus erat Cœli, (incipies,) cum pulchrior axis
Flectitur, & vernos provehit orbe dies.
Reddiderat pueris violas mitiſſimus annus;
Chloris odora novis ſparſerat arva comis.
Inque jugis, nivibus fuerat quæ cognita ſedes,

 Mil-

Mulcebat patrio carmine Paſtor oves.
Non erat, & ſomnus feſſos irrepſerat artus.
(Credita tum curæ Grata Juventa meæ.)
Ex templo evigilo, ſtagnique in margine puri,
Unde nemus circa cernitur, eſſe reor.
Hic ego ſub platano recubans dum protegor æſtu,
Mens novitate ſtuper pelliciturque loci.
Forte dies aderat, quæ non jucundior ulla,
Fulgidior bijugis Cynthius ibat equis.
Quumque daret cantum grata Philomela ſub umbra,
Luderet & paſtum non procul inde pecus:
Ecce repentino quaſſatur turbine tellus,
Et Jovis horriſono ſcinditur igne polus.
Hiſque ſuper, nimbi volvuntur ab æthere: dicas
Numina jam ſævas conſeruiſſe manus.
Interea, divum magna comitante caterva,
Labitur, & nobis Nata Tonantis adeſt.
Caſſide præ reliquis, gemmiſque inſignis, & oſtro
Emicat illa, ſolum palla ſuperba tegit.
Majeſtas mire attonitam tenet ardua mentem:
Nititur erecta cuſpide dextra Deæ.
Ac velut Oceani Titan quum fervidus undis
Surgit & ignivomis ore comiſque micat;
Haud ſecus ad lævam clypeus vomit aureus ignes.
Ille Meduſæo triſtis erat capite.
Horruit his animus, totoque in corpore ſanguis
Hæſit, & excuſſæ diriguere comæ.
Tum mihi reſtituens ſenſim Tritonia vires,
Dat circumducta talia dicta manu.
Quid fruſtra, generoſe puer, mea ſigna vereris,
Quæ ſunt pacato conſpicienda ſinu?
Hi Luci, hi Colles, hæc ſunt Delubra Dianæ,

Hic

Hoc ſpeculum, Nemus hoc relligione ſacrum.
Hæc domus Egeriæ, Hippolytique hæc conſcia Sedes:
Hic primum dictus Virbius ille fuit.
PASTOR AB ARCADIA INSIGNIS, NOMENQUE BIANOR,
DULCE CAMOENARUM, PIERIDUMQUE DECUS,
QUEM LATIALE SOLUM, SUPERI, QUEM PURPURA SERTIS
ORNAT, CUI CINGIT TEMPORA CALLIOPE,
SEDULUS ILLE. NOVO DIGESTIS ORDINE REBUS,
EXEMIT TENEBRIS HÆC LOCA CUNCTA SUIS.
ILLIUS ANTIQUOS ÆQUARUNT SCRIPTA LATINOS;
FORSITAN HÆC CALAMO VEL POTIORE NITENT.
FAMA VOLAT QUOCUMQUE SUI; ET FULGORE MINORES
URET, APELLEUM QUUM MORIETUR OPUS;
SEMPER HONORE MEO, SEMPER CUMULABITUR ARMIS.
NEC MIHI JAM CULTOR GRATIOR ULLUS ERIT.
Nunc age, ſi te cura mei, ſi gloria tangit;
Auctorem Hetruſcis vertere perge modis.
Hæc, *ait*, & placido vultu Dea Bellica raptim
Tollitur, æthereis ſedibus impoſita.
Nec mora, juſſa ſequor quamvis operoſa, priuſque
Palladis officium Cynthia Virgo refert,
Noverit at facili, Liber, hæc ubi fronte Bianor,
Neſtoreos videat, rite precare, dies.

JOSEPHI BARONII
POETÆ BRIXIANI CULTISSIMI
De Soteriis, ſive de Epiſtola Tiburtina Doctiſſimi Viri
P. JOSEPHI ROCCHI VULPII
SOCIETATIS JESU
AD EMINENTISSIMUM PRINCIPEM
CARD. QUIRINUM

ODE.

EXPERGEFACTAS *ad ſonitum fides*
Aptate, & omnem pandite VULPIO
Soteria ubertim ferenti
Pierides Helicona Divæ.
Stipate Vatem, non ſine conſonis
Vatem Camoenæ ducite gaudiis;
Ubi redonatum QUIRINUM
Aonio recreatis antro.
Hic eſt Deorum nectareas dapes
Condire dignus carmine VULPIUS.
Cui Delphicis heroa frontem
Calliope redimatque vittis;
Et CLARUS HEROS *Theſpiadum* DECUS
Dilecta Muſis pectora amabili
Coronet amplexu QUIRINUS
Moronis pottore ſertis.

In obſequentiſſimi animi argumentum
J. B.

Edita eſt Brixiæ Anno quo Epiſtola III. Tiburtina Lib. I. ſive Soteria, in folio apud eumdem Typographum.

I N-

INDEX

Epiſtolarum Tiburtinarum carminibus deſcriptarum Joſephi Rocchi Vulpij Societatis Jeſu.

LIBRO PRIMO.
HEXAMETRIS.

EPISTOLA I. Ad Angelum Mariam Cardinalem Quirinum Brixianum Antiſtitem &c. Incipit: *Cum tot ſuſtineas* &c. Deſinit: *Cetera latus.* Pag. 5.

EPISTOLA II. Ad Marcum Fuſcarenum Venetum Oratorem, &c. Incipit *Hadriaca Gentis*, &c. Deſinit *& amore foveri*. Pag. 17.

EPISTOLA III. Ad Cardinalem Quirinum Soteria. Incipit *Hermenis ſemper* &c. Deſinit *Properent o tempora rebus*. Pag. 29.

EPISTOLA IV. Ad Dominicum Cardinalem Paſſioneum, &c. Incipit *Quamvis Oceano*, &c. Deſinit *Vates augurer olim*. Pag. 37.

EPISTOLA V. Ad Joſephum Mariam Herculanum Præſulem, Poetam eximium, &c. Incipit. *Herculea degente licet*, &c. Deſinit: *Dulcis Amice Reviſe.* Pag. 47.

EPISTOLA VI. Ad Comitem Alphonſum Aldrighettum. Incipit. *Poſtquam Victrices*, &c. Deſinit *Tibi tempora lauri*. Pag. 53.

EPISTOLA VII Ad P. Joan. Baptiſtam Spinulam S. J. Incipit *Quamvis arbitrii*, &c. Deſinit *Qua mox depromere poſſim* Pag. 69.

EPISTOLA VIII. Ad Joan. Antonium Vulpium fratrem. Incipit: *Urbis amatores*, &c. Deſinit. *Utcumque pari par* Pag. 77.

LIBRO SECUNDO.
ELEGIACIS.

EPISTOLA I. Ad Cœtum Academiæ Patavinæ vulgo *de Ricovrati*. Incipit: *Euganei Colles*, &c. Deſinit: *Nomen in Hesperias.* Pag. 85.

EPISTOLA II. Ad Joannem Aloyſium Mocenicum Venetum Senatorem, &c. Incipit: *Fallimur, & Somni*, &c. Deſinit *Invia luminibus.* Pag. 93.

EPISTOLA III. Ad Nicolaum Mariam Antonellum Virum Illuſtriſſimum, &c. Incipit: *Sanguinolenta feri*, &c. Deſinit *Dulce quid eſſe poteſt?* Pag. 99.

EPI-

EPISTOLA IV. Ad P. Benedictum Campoſampiem, &c. Incipit: *Ibis ad Euganeos.* Deſinit: *jam mihi ſervus eris.* Pag. 103.

EPISTOLA V. Ad P. Carolum Mandoſium S. J. Incipit: *Siccine ver verſus*, &c. Deſinit: *eſt magis iſte pius.* Pag. 113.

EPISTOLA VI. Ad Julium Amalfitanum Virum Patricium, &c. Incipit: *Quæ nuper Calabris*, &c. Deſinit: *Sis memor ipſe mei.* Pag. 119.

EPISTOLA VII. Ad Coſmum De Angelis Bargæ in Liguria Marchionem, &c. Incipit: *Vix bene ſanguineam*, &c. Deſinit: *cum mihi charta, Veni.* Pag. 123.

EPISTOLA VIII. Ad P. Franciſcum Grimaldum S. J. Incipit: *Verat alta ſole*, &c. Deſinit: *detur & eſſe mihi!* Pag. 129.

EPISTOLA IX. Ad Franciſcum Mariam Lactantium de Aricinorum Veterum Monumentis egregie meritum. Incipit: *Cultor Aricini Nemoris*, &c. Deſinit: *præmia promeritis.* Pag. 137.

EPISTOLA X. Ad Joſephum Alexandrum Furiettum Præſulem Juriſconſultiſſimum, &c. Incipit: *Amphitryoniadis colles*, &c. Deſinit: *Lucifer alme diem.* Pag. 141.

EPISTOLA XI. Ad Joannem Baptiſtam Roſpiglioſum Borromeum Excellentiſſimi Ducis Zagaroli Filium, &c. Incipit: *Littera ab Etraſco*, &c. Deſinit: *Qui mihi ſervus erit.* Pag. 149

LIBRO TERTIO.
HENDECASYLLABIS.

EPISTOLA I. Ad Cardinalem Quirinum. De Primordiis Corcyræ, &c. Incipit: *Quirine o Decus Hadria*, &c. Deſinit: *Pater eruditionis.* Pag. 157.

EPISTOLA II. Ad Cardinalem Quirinum. De Brixiana Litteratura. Incipit: *Magni Maxime Paſtor*, &c. Deſinit: *nulla competebunt.* Pag. 159.

EPISTOLA III. Ad Cardinalem Quirinum. De Vindiciis Paulli II. P. M. Incipit. *Diſertiſſime Præſulum*, &c. Deſinit: *Præſulum, Quirine.* Pag. 161.

EPISTOLA IV. Angelo Mariæ Quirino Cardinali. Urbs Roma ad Brixiam Urbem. Incipit. *Felix Brixia*, &c. Deſinit: *habet tuum Quirinum.* Pag. 163.

EPISTOLA V. Reſpondet Brixia Romæ. Incipit: *Magnum Præſulem*, &c. Deſinit: *habens meum Quirinum.* Pag. 164.

EPISTOLA VI. Roma iterum Brixiæ. Incipit: *Sed jam munifica*, &c. Deſinit: *Romula Quirinum.* Pag. 166.

EPI-

Epistola VII. Brixia Romæ. Incipit: *In quemquam cadit*, &c. Deſinit: *videre Noſter*. Ibid.
Epistola VIII. Roma denique Brixiæ. Incipit: *At at, negligimur*, &c. Deſinit: *redditum Quirinum*. Pag. 167.
Epistola IX. Alexandro Lopez præclaræ indolis adoleſcenti. Incipit: *Jucunde, unanimis*, &c. Deſinit: *venuſte Amice*. Pag. 169.
Epistola X. Patri Angelo Cologerà Congregationis Beati Romualdi. Incipit: *Solers Angele*, &c. Deſinit: *ſcias eſſe opuſculorum*. Pag. 170.
Epistola XI. Ad Marcellum Creſcentium Adoleſcentem Nobiliſſimum. Incipit: *Cur dono, petitis*, &c. Deſinit: *te potius beatum*. Pag. 171.
Epistola XII. Ad Coſmum de Angelis Semin. Rom. Convict. Incipit: *Quod nec fratris amore*, &c. Deſinit: *tuo relinquat*. Ibid.
Epistola XIII. Carolo Mandoſio S. J. Incipit: *Vos rudes Elege*, &c. Deſinit: *obfuit, juvabit*. Pag. 172.
Epistola XIV. Ad Cl. V. Franciſcum Benaloam de Meiro Fuſcareno Senatore Ampliſſimo. Incipit: *Hanc Creſſa Charites*, &c. Deſinit: *ferent ad aſtra*. Pag. 173.
Epistola XV. Cardinali Quirino De Commentario in Franciſci Barbari Epiſtolas. Incipit: *Ecquis tot Epiſtolas*, &c. Deſinit: *minor Quirino*. Pag. 175.
Epistola XVI. Mario Compagnono Mareſuſco Patricio Maceratenſi, &c. Aſclepiadei. Incipit: *Mirabar ſolito*, &c. Deſinit: *præſtat amiculus*. Pag. 176.
Epistola XVII. Eidem Mario Incipit. *Donarem pateras*, &c. Deſinit: *vale ſibi proſperos* Aſclepiadei. Pag. 178.
Epistola XVIII. Marchioni Roberto Tiburtio Laſcaris Incipit: *Tiburti omnibus*, &c. Deſinit: *fovere pergant*. Pag. 179.
Epistola XIX. Ad Comitem Joan Baptiſtam Camutium. Incipit: *Gaudete, o Populi*, &c. Deſinit: *novem viguris* Pag. 180.
Epistola XX. Ad Cardinalem Quirinum. Incipit: *Primm dilla mea*, &c. Deſinit: *Quirine, Muſa*. Pag. 181.
Animadverſiones nonnullæ in Epiſtolas Tiburtinas. Pag. 187.
Illuſtrium aliquot Virorum Carmina ad P. Joſephum Rocchum Vulpium Soc. Jeſu. Pag. 229.

FINIS.

Restauro del Libro
Badia di Cava
005663183